

sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare, et abyssos, et reptilia animalium viventium; et responderunt: Non sumus Deus tuus, quere super nos. Interrogavi cœlum, solem, lunam, stellas, etc., et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogavi mundi molem de Deo meo, et respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit, etc. Idem, lib. IX, cap. x, cum matre S. Monica, paulo ante ejus mortem colloquens de vita æterna Sanctorum, quæ est Deus; quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: «Ergentes, inquit, nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cœlum, unde sol et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando et loquendo te, et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum, etc. Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasie terre, et aquarum et aeris, si-

leant et poli, et ipsa anima sibi sileat, et transeat, non se cogitando; sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, et omne signum, et quicquid transeundo fit, si cui sileat omnino: quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. His didicis si jam taceant, et loquatur ipse solus non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per sonitum nubis, neque per enigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat, et recondat in interiora gaudia sua, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentie cui suspiravimus, nonne hoc est, intra in gaudium Domini tui? Et istud quando?»

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Multi hoc caput et carmen ad litteram accipiunt de Christo, Christianique victoria et redemptione, quia Propheta hic crebro loquitur per verba futuri temporis. Ita videtur sentire S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius, Haymo, Rupertus, Emmamel, et S. Augustinus lib. XVIII De Civit. n. 32. Alii ad litteram hæc accipiunt de Cyro, expugnatore Babylonis et liberatore Judæorum, cui providè omnia hæc futura accommodant, quasi revera uti sonant, tunc acciderint, itaque probant ex Herodoto et Xenophonte. Ita Hugo, Albertus, Lyranus et Mariana.

Veram dico ad litteram Prophetam, cum ad suam querelam de Chaldæorum in Judæos tyrannide, imperio et excidio, a Deo accepisset responsum de Babylonis punitione, et Judæorum ex ea liberatione per Cyrum, hoc carmine Deo gratias agere, eamque obsecrare, ut idipsum reipsa cœsequatur. Quocirca canit magnalia, plagas et prodigia que Deus pro Hebræis patravit, ab exitu eorum ex Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan, ut significet similita Deum pro eisdem patraturum in liberatione ex Babylone, et reductione in Judæam; que omnia ascribit meritis Christi Jesu, quem Cyrus typice adumbravit. Ita Chaldaus, Hebræi, Vatablus, Arias, et tandem fatentur idipsum S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus. Id ita esse patet primo, ex cap. 1 et 11, maxime vers. 3, atque ex tota conexione prophetie hujus. Hic est enim auditus, de quo ait vers. 1: Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Nam cap. 1 et 11, audiens Chaldæorum in Judæos sevitiâ, eximuit et eparavit; secundo, quia ea de causa ab initio cap. usque ad vers. 24, plurima beneficia Hebræis in exitu ex Ægypto prestita commemorat, ut similita eis in egressu e Babylone præstanda demonstret, et ad id credendum fidem et spem eorum exocuat; tertio, idipsum clare indicat cum ait vers. 16: Ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Denique id significat titulus, oratio pro ignorantibus, id est pro peccatis suis et populi, ne scilicet Deus ob ea, liberationem ejus e Babylone, licet promissam, differat, vel omnino revocet et auferat. In sensu tamen allegorico, qui præcipue hic intenditur a Spiritu Sancto, loquitur de Christo, Christianique mysteriis et redemptione. Sicut enim Nabuchodonosor tyrannus, et vastator populi Dei gessit typum diaboli; ita Cyrus liberator ejusdem, figura fuit Christi redemptoris: et sicut Babylon representat regnum peccati, ita liberatio e Babylone representavit redemptionem Christi qui evertit regnum peccati, hominesque ea ejus et diaboli servitute liberavit. Hac de causa Propheta jam loquitur in præterito, ut significet se ad litteram loqui de Pharaone. Ægypto et Hebræis præteritis; jam in futuro, ut significet ad

litteram similita Judæis eventura per Cyrum, in expugnatione Babylonis. Allegorice vero similita, ino longo majore, omnibus gentibus præstanda per Christum, orbis redemptorem. Hinc nominat Christum et Jesum, vers. 18: Exullabo, inquit, in Deo Jesu meo, ejusque natiuitatem, miracula et gesta usque ad ultimum ejus judicium, typice percenset. Ita Theophylactus, Euthymius, Rupertus, Ribera, Tietmannus, Jansenius in hoc canticum. Similit modo victorias et beneficia sui temporis ad litteram, quibus allegorice representant victoriam et gratiam Christi, carmine suo celebrant Moses Exodi xv, Debora Judic. v, Judith cap. ult., Anna I Reg. ii, David Psalm. LXXI et LXXXVIII.

Ubi nota, quia allegoricus sensus hic præcipue est intentus a Spiritu Sancto, hinc quædam interseruntur, que magis conveniunt allegorice quam litteræ, uti est nomen Jesu; et quod Septuaginta, vers. 2, habent: In medio duorum animalium cognosceris; et vers. 5: Ante faciem ejus ibit mors; et: Egredietur diabolus ante pedes ejus. Similit modo allegoriam litteræ miscet Isaias cap. xiv, ubi sub typo Luciferi, casum Balsaris depingit; et Ezechiel, cap. XXVIII, ubi sub typo Cherubini, ruinam regis Tyri representat. Ad litteram ergo tres sunt hujus canticæ partes. Primo enim Propheta Deum observat, ut opus redemptionis Hebræorum e Babylone promissum reipsa præstet et perficiat. Secundo, a vers. 2 ad 16, recollit et celebrat magnalia Dei, edita in eorumdem liberatione ex Ægypto, que tacite rogat ut similita præstet in eorum liberatione e Babylone. Tertio, vers. 16, recit ad vers. 1, et ad cladem Babylonis obstupescit: mox gaudet et exultat in Domino, qui Judæos e Babylone liberabit, eosque quasi cervos veloces et ataces in Judæam reducet (1).

2. Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordie recordaberis. 3. Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan: Operuit cœlos gloria ejus: et laudis ejus plena est terra. 4. Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus: 5. ante faciem ejus ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes ejus. 6. Stetit, et mensus est terram. Aspexit, et dissolvit gentes: et contriti sunt montes sæculi. Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 8. Numquid in fluminibus iratus es, Domine?

(1) Cum allegoricus sensus hujus orationis præcipue hic a Spiritu Sancto intendatur, ejus synopsis juxta hanc sensum ex Kiber excerptam hic subiungere libet, scilicet synopsis mysteriorum Christi, spectaculum judicii ætæterni, et affectus Prophetæ vari.

Synopsis mysteriorum Christi, et Patris: Mystera Christi visibilia, scilicet primo, incarnatio et natiuitas, facta in plenitudine temporis, in comitatu misericordie, 3, in parte australi Judææ, 3; secundo, doctrina et miracula, 3. Secundo: Mystera Christi morientis: primo, passio et crucifixio, 4; secundo, victoria de morte et inferno, 5.

Tertio: Mystera Christi redivi, primo, missio Apostolorum in universum orbem, 6; secundo, conversio gentium, 6; tertio, conturbatio hostium Evangelii, 7.

Spectaculum judicii ætæterni: Patro, precedentia judicium: adventum judice fiet, primo, folium in et maris commotio, 8; secundo, vindicta ac tutela promissæ preparatio, et classium divisio, 9; tertio, summorum et infimorum furor ac desperatio, diabolorum accitio, et angelorum vastatio, 10.

Secundo, concomitantia judicium: primo, sol et luna fulgure suo ac fulmine erunt in symbola severitatis divine, 11; secundo, terre motus et impiorum consternatio, 12; tertio, interventus Christi pro salute electorum, 23.

Tertio, consequentia judicium: primo, reproborum perditio extrema per judicis sententiam, tum percusso Satana eorum capite, et disjecta omni machinatione adversa, 13; tum dissipata eorumdem potestate, vi noxia, et lætitia crudeli, 14; secundo, electorum potentissima liberatio ex omni calamitate et afflictione, 15.

Affectus Prophetæ vari: Patro, ortus ex consideratione judicii, scilicet, primo, timor et tremor, 16; secundo,

votum mortis, malis quantumvis plena, 16. Hujus voti finis quidem est, ut opportune congregetur cum electis, et mala judicii evadat, 16; causa autem, quia tunc ab impiorum persecutione militi, alias etiam pietissimi, deficiant, et spirituali ubertate carebunt, 17.

Secundo, ortus ex memoria: primo, delectatio et gaudium in Deo ob salutem, 18; secundo, spes et fiducia in Dei auxilio, 19; tertio, prægiustus certæ victoriæ ac lætitiæ, 19.

Ceterum, ut allegoricus sensus in hoc capite non ultra verè et sanè interpretationis metas superetur, hæc commone ex S. Augustino ductam regulam in memoriam revocamus. Cum verba proprie explicari possunt, in eis contineri sensum litteralem, nec oportere recurrere ad allegorias. Sed omnia que in hoc canticum decantantur, addit Christophorus a Castro, si propriè interpretentur, optime conveniunt his que gesta sunt cum veteri populo: at si de tempore gratiæ contexamus, non perpetuo sensus ille deducatur: sed sæpe opus erit ad sensum historicum recurrere, ut, inveni licet, recurrunt tandem multi qui de tempore gratiæ canticum explicant. Ergo ille habendus est sensus historicus, alter vero tropologicus, utpote qui liberari sit, et non perpetuo ex singulis verbis contextatur.

Hæc carmini illustrando peculiarem impenderunt operam, præsertim Jo. Mich. Feder, Canticum Prophetæ Habacuc ex hebræo latine versum, Wircob. 1771; — Guil. Adolp. Schrederus, Dissertatio philologica in Canticum Habacuci, Groningæ, 1781; — Christ. Frid. Schurrer, Dissert. in Habacuci, cap. III, Tubing. 1787; — Morner, Hymnus Habacuc. versio ac notis philolog. et criticis illustratus, Upsal, 1791; — Car. Theophr. Anton, cap. III Habacuci versio, etc., Gorlicii, 1810.

aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos: et quadrigæ tuæ salvatio. 9. Suscitans suscitabis arcum tuum: juramenta tribubus quæ locutus es. Fluvius scindes terræ: 10. viderunt te, et doluerunt montes: gurgis aquarum transit. Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit. 11. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hæstæ tuæ. 12. In fremitu conculcabis terram: in furore obstupescas gentes. 13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum ejus usque ad collum. 14. Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me. Exsultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. 15. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 16. Audivi, et conturbatus est venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Ingrediatut putredo in ossibus meis, et subter me scateat. Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum. 17. Ficus enim non florebit: et non erit germem in vineis. Mentietur opus olivæ: et arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus: et non erit armentum in præsepibus. 18. Ego autem in Domino gaudebo: et exsultabo in Deo Jesu meo. 19. Deus Dominus fortitudo mea: et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

ORATIO PRO IGNORANTIS.

Vers. 1. 1. PRO IGNORANTIS. — Hebraice est שִׁינִיגִיִּוֹן *signonot*, quod aliqui, ut R. David, Pagninus, Vatablus accipiunt pro certo genere cantici, harmoniæ, vel instrumenti musici; unde Septuaginta vertunt: *Oratio Habacuc propheta cum cantico*; quia partim est hic oratio, partim et magis canticum, quo celebrat Dei beneficia præterita, ut impetret futura. Hæc est enim vera ratio orandi et impetrandi, si ejus a quo quid petimus, munificentiam, potentiam, dotes et laudes celebremus. Unde in Scriptura, oratio subinde vocatur *laus*, ut *Thren. II, 19*: «*Consurge, lauda* (id est laudando ora) *in nocte.*» *Jerem. XI, 14*: «*Ne assumas pro eis laudem,*» id est ne ores pro Judeis tam impiis. Hinc et R. Jona, et ex eo Genebrardus *signonot* vertunt, *gaudium, oblectationem. Oratio*, inquit, *Habacuc propheta cum oblectationibus*, qua scilicet se populumque oblectat, commemorando futuram ejus liberationem. Alii, ut R. Juda, vertunt: *Oratio pro occupationibus*, puta pro gravibus negotiis, quæ animo versabat, quibus se occupabat Propheta; Tigurina: *Colloquium*, seu *Disputatio Habacuc propheta de rebus perplexis*. Verum melius Noster vertit: *Pro ignorantis*; ita enim vertit et Aquila, Symmachus, Quinta Editio et Chaldeus. Hebræum enim שִׁינִיגִיִּוֹן *signona* significat errare, ignorare: inde שִׁינִיגִיִּוֹן *signona* vocatur error, ignorantia, puta delictum et peccatum, tum ex ignorantia commissum, tum quodlibet aliud, etiam voluntarium. Unde Theodotus vertit: *Pro voluntaris*, scilicet delictis. Nam, ut ait Aristoteles, «*omnis peccans est ignorans.*» Et Sapiens: «*Errant qui operantur malum,*» *Prov. XIV, 22*. Semper enim peccato conjuncta est aliqua ignorantia, puta inconsideratio.

Si enim consideraret peccator turpitudinem et damna peccati, Deumque vindicem, ejus iram et tormenta æterna provocat, utique non peccaret.

Jam sensum hie varium dant varii. Primo, Chaldeus more suo paraphrasticè sic vertit: *Oratio quam oravit Habacuc, quando revelatum est ei de longitudine temporis, quam dedit Deus impiis: quod si convertantur ad legem corde perfecto, remittetur eis, eruntque omnia scelera eorum, quæ admiserunt in conspectu ejus, quasi ignorantia.*

Secundo, S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Jansenius censent Habacuc hie deprecari veniam suæ ignorantie, id est sui peccati, quod ignoranter et temere ausus fuit cum Deo disputare; imo de ejus providentia, qua sinit impios piis dominari, conquiri. Verum in toto hoc carmine nullam hujuscæ deprecationis veniæ significationem dat Propheta.

Dico ergo: per ignorantias significantur peccata populi, *g. d. Oro, Domine, pro peccatis populi, ut illa condones et dissimules, ne propter illa differas opus liberationis nostræ et Babylone, et multo magis allegorice opus incarnationis Christi, et redemptionis generis humani a te promissum.*

2. DOMINE, AUDIVI AUDITIONEM TUAM. — Est **Vers. 2.** metonymia, nam actus ponitur pro objecto: «*auditionem,*» id est rem, vel verbum auditum, sive oraculum quod a te audivi; scilicet tantam cladem et vastationem, tum Judeorum per Chaldeos, tum ipsorum deinde Chaldeorum per Medos et Persas: ideoque «*timui,*» maxime metuens, ne nos in Babylone degentes, utpote captivos, etiam Babylonica clades, et Chaldeo-

rum exitium per Cyrum intelligendum pariter involvat, et omnino delet. Ita S. Hieronymus, Remigius et Theodoretus. Porro Septuaginta addunt: *Consideravi opera tua, et exavi*, id est *obstupui, vel exavi*, quod allegorice recte S. Augustinus lib. XVIII *De Civit. xxxii*, refert ad opus incarnationis Christi, quod præ sui novitate, tantæ majestatis exinanitione, non tantum stuporem, sed et sacrum quemdam pavorem et horrorem, ex sui reverentia incutit. «*Quid enim, inquit, hoc est nisi præcognita, novæ ac repentinæ salutis hominum ineffabilis admiratio?*»

Quis enim non stupeat, quis non expavescat, si videat Deum in carne, Deum in cruce? Hoc est magnum pietatis sacramentum, quod obtupescunt Seraphini et Cherubini, quod, ut ait Apostolus I *Timoth. II, 16*, «*manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis* (qui omnes stupentes illud adorarunt, *Hebr. I, 6*), prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.» Vere S. Bernardus, *serm. 3 in Vigilia Nativit.*: «*Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec faciendæ sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilis, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem poterint conjungi.*» Et infra: «*Contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in persona una sibi inveniret Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Et attende, sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commixtione trinitas est in substantiis, in persona unitas. Verbum enim et anima, et caro, in unam convenerunt personam; et hæc tria unum; et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.» Quocirca merito S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Bernardus, S. Franciscus, alique Sancti, in contemplatione hujus mysterii quasi extra se rapti et attoniti expaverunt et obstupuerunt. Equidem si cum S. Magdalena secendes et abstracti, non aliud contemplantur tota vita, quam hoc, «*Verbum caro factum est, Deus homo.*» jugiter obstupesceremus; et quo magis ac ditius illud contemplantur, eo magis in stuporem, imo in exaltationem rapemur.*

Sane ipsa humanitas Christi in incarnatione, videns se assumi et elevari super omnes caelos et angelos, ad thronum majestatis divinæ, obstupuit et expavit: quin et jugiter obstupescit et expavescit, dum videt se in eadem non tantum sede, sed et hypostasi cum divinitate sedere et subsistere: videt enim se ex creatura elevari ad Creatorem, ex nihilo fieri omnia, ex homine fieri Deum; idque ex nulla sui dignitate (est enim

ipsa tanto honore et bono indigna) vel merito, sed ex mera dignatione Dei, qui eam ex omnibus hominibus, angelis et creaturis elegit, et ad tantum gloriæ fastigium evehit. Jugiter ergo illa obstupescens suam vilitatem et indignitatem, ac Dei dignationem et gratiam, gratulabunda exclamat: O immensa Dei in me, o abyssalis, o incomprehensa bonitas!

Tropologica, hæc verba sibi adaptavit S. Leo, cum eligeretur in Pontificem. Sic enim ait *serm. 2 De sua Assumptione*: «*Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragilis, sublimitas humilis, dignitas non merenti?*»

DOMINE, OPUS TUUM IN MEDIO ANNORUM VIVIFICA ILLUD. — *Tri illud* pro pleonasmum hebræum reddat: Hebræi enim repetunt pronomen relativum, vel demonstrativum, illudque jungunt cum suo nomine quod antecessit. Porro *opus* intelligit liberationis Judæorum et Babylone, et mysticæ redemptionis generis humani et captivitate diaboli et peccati per Christum. Unde Chaldeus opus hoc interpretatur renovationis mundi et miserationum Dei. Ita S. Hieronymus et Augustinus loco citato. Hoc enim vocatur opus Dei antonomastice, sive pro excellentiam, quia omnium Dei operum fuit maximum et excellentissimum. Nam in quo magis quam in operibus creationis, conservationis, gubernationis, cæterisque omnibus, Deus generi humano ostendit immensam suam clementiam, sapientiam, potentiam et amorem. Quodque de Bruto dixit Poeta: «*Et magnum magni Cesaris illud opus;*» illud longe verius dicas de Verbo incarnatum, puta de Christo: «*Et magnum magni Numinis illud opus.*» Hoc opus, inquam, «*in medio annorum,*» id est intra annos, vel annis, scilicet a te præfixis, «*vivifica,*» id est effice, suscita, adimple. Hebræi enim metaphoricè vitam dant rebus inanimis, ut annis, diebus, acris, fertilitati, sterilitati, captivitati, liberationi, etc.; cum enim illa fiunt et vigent, dicuntur hebraice vivificari et vivere.

IN MEDIO ANNORUM. — Varii varie hoc medium explicant. Primo Guevara et Vatablus: «*In medio annorum,*» inquit, hoc est, in medio illorum calamitosorum et infelicitum dierum, in quibus Chaldeam ejusque incolas funditus igne ferrocè vastandos Propheta audierat. «*In medio,*» dixi, id est cum in præcipiis erant mala, cum ingruent vehementius pericula, cum circumfluentibus undique calamitatum fluctibus nulla emergendi affulgebat spes. In medio enim alicujus rei esse dicitur quandoque id, quod ab ipsa premitur et urgetur, maxime ut circumfusus malorum astu nullum evadendi pateat effugium. Tale est illud *Psalm. XXII, 4*: «*Nam, etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.*» Et *Psalm. CXXXVII, 7*: «*Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis*

Inmedi-
tas Chris-
ti videns
se nisi
Verbo,
obstu-
puit.

me. » Orat ergo Habacuc Deum, ut populum sibi peculiariter e mediis calamitatibus Chaldaeorum eripiat, et quem tantis haecentibus beneficiis affecerit, cuique, ut artifices solent, quasi absolutissimo manuum suarum operi, et summo nomini inscriperit, notaque et stigma circumcissionis inusserit, Chaldaeorum sevitia intrare, aut cum Chaldaeis pariter in Babylone a Medis et Persis excindi delerique penitus non patiar. Hic sensus valde huic loco congruere videtur. Medium enim saepe capitur pro summo, ut cum dicimus: In medio tribulationum versor; medio mari actor; in medio ferarum dego, id est in summis versor malis, periculis et hostibus. Annus enim, dies et tempus saepe metonymice sumuntur pro clade insigni et calamitate, quae tali anno, die et tempore contigit, vel continget. Sic saepe Propheta diem Domini vocat diem ultionis, quo Judaeam, vel Babylonem, aut alias urbes et gentes puniet et perdet, ut *Sophon.* cap. 1, 44: « Juxta est dies Domini magnus, etc. Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae. » *Joel.* cap. 1, 4: « Venit dies Domini, etc., dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis. » Similia sunt *Jerem.* cap. xxx, 7; *Amos* cap. iii, 18.

Secundo, alii ex adverso medium capiunt pro optimo, *g. d.* Evolutis annis 70 captivitatis calamitissimae, in medio, id est in optimo anno 70 illos nunc consequente, opus hoc liberationis nostrae tam exoptatum dabis et praestabis. Sic dicitur *Ezech.* cap. v, 3: Ista est Jerusalem: in medio, id est in optimo, gentium « loco » posui illam. » Et *Isaia xxxviii*, 10, ait *Ezechias*: « In dimidio dierum meorum, id est in etate optima et florenti, » vadam ad portas inferi. » Quamquam alii « dimidio » proprie accipiunt; erat enim *Ezechias* tunc 39 annorum, quae aetas est quasi dimidia vite humanae: integra enim est ea quae notatur *Psal.* lxxxix, 10: « Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni. »

Tertio, simplicius alii medium hic non accipiunt geometricae, sed physice, aut potius vulgariter ex Hebraeorum phrasi et usu, quo « in medio annorum » idem est quod intra annos, scilicet prefinitos et destinatos a Deo. Unde *Symmachus* vertit: *Intra annos reviviscere fac ipsum; Aquila: Dum appropinquant anni, vivifica illum; Septuaginta: Cum appropinquerint anni, cognosceris.* Sic Deus fecit « firmamentum in medio aeguarum, » id est inter aquas superas et inferas, *Genes.* cap. 1, 6, et « lignum vite in medio paradisi, » id est intra paradisum, *Genes.* cap. 2, 9, et ignem in medio rubi, id est intra rubum, *Exod.* cap. 11, 2. Dicit autem potius « in medio, » quam in fine annorum, quia optat annos hosce non expleri, sed potius imminui et dimidiari, *g. d.* Fac, Domine, ut anni 70, quos captivitas nostrae designat, non ad finem usque decurrant sed decurrantur et dimidiarentur.

Quarto, aliqui, ut *Albertus*, medium hic geometricae et praecise accipiunt, scilicet medium annorum mundi. Nam liberatio Hebraeorum facta est sub annum mundi ter millesimum, puta anno 3119, hoc est pene medium durationis mundi: durabit enim mundus sex millia annorum, ut tradunt Hebraei et Patres, quos citavi *Apoc.* ix, 6.

Rursum *Jansenius* dimidium hoc exponit annum 37 transmigrationsis *Joachim*, quo *Evilmerodach* eum exallavit, *IV Regum*, cap. xv, 27, quod fuit quasi praeludium et initium felicitatis et liberationis Hebraeorum, quae perfecta est anno 70 captivitatis: nam 37 sunt pene dimidium 70. Hoc sensu vox *vivifica* in sensu non perfecto, sed inchoato accipienda est, *g. d.* « Vivifica, » id est incipe vivificare, et adimplere opus tuum; inchoa operis tui fabricam, da ejus specimen, quasi auroram futurae lucis et libertatis.

Allegorice, opus incarnationis et redemptionis Christi factum est « in medio annorum, » juxta primum sensum: quia Christus venit calamitissimo tempore. Fecit enim uti facit sapiens medicus, qui sinit morbum crescere ad summum paroxysmum, ut omnes suas vires exeret et evomat: quo facto, morbo quasi exhausto et enervato, facilius adhibet curationem. Ita Christus permisit ut peccatum et concupiscentia crescerent ad summum per quatuor annorum millia, utque omnem suam malitiam exererent ac evomerent: quo facto, medicam ei manum suam attulit; cum jam pariter et natura, et lex *Mosis* omnem vim suam ostendissent, nec tamen potuissent peccato mederi: ac proinde omnes et omnia Christi opem tacite poscerent et inolamarent.

Secundo, idipsum fuit « in medio, » id est in optimo, « annorum; » quia ipse adduxit aureum jubilei saeculum, juxta illud *Apostoli*: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, » *II Cor.* cap. vi, 2.

Tertio, fuit « in medio annorum, » id est inter annos, vel annis a Deo praefixis et constitutis. Rursum « in medio, » id est in complemento annorum. Medium enim est extremorum centrum, uno, perfecto et complementum. Hinc « in medio annorum, » idem est quod in consummatione annorum, vel, ut *Apostolus Galat.* cap. iv, 4, ait « in plenitudine temporum, » cum scilicet plane consummata et impleta essent tempora a Deo tanto operi praestituta. Medium enim extremorum est finis: extrema enim in medio terminantur et finiuntur. Ita *S. Hieronymus*. In medio ergo annorum natus est Christus, quia aetas Christi fuit finis saeculorum praecedentium miserorum, et initium sequentium felicissimorum. Dicit autem « in medio » potius quam in fine, quia optat hosce annos accelerari, ideoque dimidiari; sicut per praeces *Danielis* et *Prophetarum*, abbreviatae et accisae sunt 70 hebdomadae praeviae Christo, ut dixi *Daniel.* cap. ix, 21.

Quarto, arithmetice « in medio annorum » passus est Christus hoc computo: primo, quia in medio 70 et ultimae hebdomadis *Danielis* passus, redemit mundum, *Daniel.* cap. ix, 27. Licet enim Daniel fuerit post Habacuc, tamen hebdomadae hae 70 jam ante *Danielem* decretae erant in mente Dei, qui eas hic confuse et implicite revelavit Habacuc, quas postea discrete expressit *Danieli*. *Secundo*, « in medio annorum; » quia Christus passus redemit nos anno aetatis 34, quae est media vite humanae: haec enim censetur 70 annis. *Tertio*, Hebraei ex oraculo *Eliae* durationem sive aetatem mundi tradunt fore sex millia annorum, sive ter bina millenaria, quorum prima duo spectant ad legem naturae, quae fuit ante diluivium, et post illud usque ad *Abraham*; secunda, sive media duo ad legem *Mosis*; tertia, sive ultima duo ad Evangelium et tempus Messiae ac gratiae. Jam Christus natus est durante lege *Mosis*: natus est ergo in medio harum trium aetatum, ac consequenter in medio annorum, id est saeculorum mundi. Ita *Franciscus Georgius* Venetus in *Problem.* tomo III, sect. iv *De Christi adventu*, num. 142. Rursum in medio annorum venit Christus, quia tempus Evangelii et gratiae ejus est medium inter tempus legis et tempus gloriae, sive inter saeculum praesens et futurum. Christus enim fuit quasi horizon temporis et aeternitatis: est enim ipse legis temporisque finis, ac principium aeternitatis vitaeque beatae. Hinc ab *Isaia*, cap. ix, vocatur pater futuri saeculi. » Denique ne quid omittam, ex his Habacuc verbis nonnulli, ut refert *S. Vincentius Ferrerius* epist. ad *Benedictum*, et *Adrianus Finus* lib. v *Flagelli*, cap. viii, censuerunt Christum in medio durationis mundi tempore assumpsisse carnem, ita ut tot exacte praecesserit anni Christi incarnationem, quod post eam futuri sunt. Idipsum indicavit *Virgilius*, qui ex oraculis *Sibyllae Cumeae* Augusto *Casari* (cujus aetate natus est Christus) adulatus, cecinit *III Georg.*:

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Casaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tibulloni prima quot adest ab origine Caesar.

Verum hoc plane incertum, et multis parum probable videtur; certe ex hoc loco evinci nequit.

Symbolice, Christus est medium, uti *SS. Trinitatis*, ita et totius universi et saeculorum omnium, aequae ad redemptionis et felicitatis nostrae mediator. Nam in *SS. Trinitate* ipse, utpote *Filius*, est medius inter *Patrem* et *Spiritum Sanctum*, qui a *Patre* procedit et generatur, ac genitus cum eo spirat et producit *Spiritum Sanctum*. *Secundo*, quia ipse est Verbum, quod est idea, per quam creavit Deus omnia; ipse ergo ut Verbum, est nodus, nexus, vinculum, medium et centrum rerum omnium. *Tertio*, in ipso pariter ut Verbo, creata et ordinata sunt omnia saecula et tempora:

« Fide enim intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, » ait *Apostolus Hebr.* cap. xi, 3. *Quarto*, hinc *Quarto*, congrue assumptis naturam humanam, ut esset mediator Dei et hominum. Decibat enim ut persona media in *SS. Trinitate* humanam naturam assumeret, in eaque fieret mediator, quia et ipsa media est inter caelum et terram, media inter Deum et caeteras creaturas, utriusque naturam participans, ut per ipsam naturam medium utraque uniret extrema. Natura enim humana medullitullum, et quasi vinculum omnium existit, et cum omnibus pariter habens, cum omnibus deliciatur; omnibus enim creaturis caeteris homo vel vescitur, vel oculis aliove sensu pascitur et fruitur; terra nos sustentat, aqua potat, aer dat respiraculum, ignis calefacit; vescimur plantis, piscibus, animalibus; sole et coelo illuminamur, ab angelis erudimur, purgamur, perficimur. Pari modo Christus factus homo deliciarum cum omnibus, et omnes cum eo. Hinc ejus typus fuit arbor vite in medio paradisi a Deo collocata, *Genes.* cap. ii. Quocirca Christus nascentis, vivens, moriens, semper passivus medium. Natus est enim in media nocte, dum quietum silentium continent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, *Sapient.*, cap. xviii, 14. Natus quoque positus est in medio duorum animalium: asinus inferior denotat misericordiam; bos fortior, et in arando aequus et fidus hero, denotat justitiam. Hae enim duo obviare sibi fecit Christus, ideoque nascentis in eorum medio stetit. Puer inventus est in templo, in medio doctorum. Domi fuit medius inter matrem et patrem, puta *Mariam* et *Joseph*. Sicut enim medius est in *Trinitate* increata, sic medius est et in *Trinitate* creata, quae est *Joseph*, *Jesus*, *Maria*. Vir in medio fuit *Apostolorum*: « Ego, inquit, sum in medio vestrum, tanquam qui ministrat; » ut omnibus videret aqua distributione, saltum geometrica, suscepta munera distribuere. Rursum concionando operatus est salutem in medio terrae, *Psal.* lxxiii, 12. Moriens pependit in medio duorum latronum, ut jam eorum constitutus iudex, redderet utrique debitas vires, juxta utriusque merita, praesagio quodam magni et extremi iudicii, in quo medius ad dexteram habebit sanctos, quos vita aeterna praeambiat; ad sinistram reprohos, quos morte aeterna multabit. In celo medium tenet locum; est enim medius inter *Patrem* et nos, utpote advocatus noster. Ita eum vidi *S. Joannes Apoc.* cap. v, 6, quasi agnum in medio throni, in medio quatuor animalium, et in medio seniorum. Hinc eum representavit *Isaac* immolans a patre, et risus ac gaudium orbis; *Isaac* enim medius fuit inter *Abraham* et *Jacob*; fuit enim *Abraham* filius, *Jacobi* pater. Rursum ipse paulo proficitur: « Ubi sum duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, » *Math.* cap. xviii, 20. Quocirca ipse ab aeterno decretus, et in tempore factus est verus et

Christus
subique
fuit me-
dus et
media-
tor.

optimus mediator inter Deum et hominem, juxta illud Apostoli: « Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, » I *Timoth.* cap. II, 3. Ipse enim factus homo, effectus est vinculum et glutinum, ligans, connectens et uniens hominem cum Deo. Ipse est velut canalus medius, per quem a fonte vivo, puta a Deo, fluunt ad nos aquae vivae, et fluenti gratiarum. Ipse est seala Jacob, per quam quasi medium, ab extremo ad extremum, puta et terra in caelum ad Deum ascendimus. Praeclare S. Bernardus, serm. 4 *De S. Michaelis*: « Amat, inquit, semper media Jesus, divitacula semper et reclinatoria improbat Filius hominis, Dei et hominum mediator. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. »

Nimirum haec omnia significare voluit et commendare auream mediocritatem, quae nos Deo et hominibus pacem efficit; virtus enim consistit in medio. Item pacem et concordiam; medium enim est nexus, et quasi pax et concordia extremorum. Hoc est quod ait *Matth.* cap. V, 9: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur; » quia ego qui sum Filius Dei naturalis, sum pax universi, pacificans omnia quae in caelis, et quae in terris sunt, *Colos.* I, 20. Jure ergo nomen filii Dei sortiantur, qui mediandi pacemque conciliandi officium ipsi proprium infirmumque usurpant.

ANNOTUM. — Ita vertunt quoque Aquila, Symmachus, Theodotus, Chaldaeus et alii passim; legunt enim in Hebraeo *שׂוֹמֵר* *seamim*, quod significat *annos*. Verum Septuaginta aliis punctis legentes *שׂוֹמֵר* *seamim*, id est *duorum*; rursum pro *חַיִּי* *chaïm*, id est *vivifica illud*, legentes *חַיִּי* *chaïm*, id est *animalium*, vertunt, in medio duorum animalium cognosceris; mox tamen pro *seamim* legunt *seamim* cum cæteris. Unde subdunt: *Cum appropinquerint anni, cognosceris*, adduntque per epexegesin: *Cum advenit tempus, demonstraberis*. Haec enim verba non sunt in Hebraeo; ea tamen in Septuaginta legunt codices Vaticani, Complutenses, Regii, S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus et alii passim. Aliqui tamen censent Septuaginta in Hebraeo legisse ut cæteros, scilicet ut *cum appropinquerint anni, cognosceris*, respondeat illi quod vertit Noster: *in medio annorum vivifica illud*, et *et cum advenit tempus, demonstraberis*, respondeat illi quod vertit Noster, *in medio annorum notum factus*; id vero quod praecedit, *in medio duorum animalium cognosceris*, additum sit a Septuaginta prophetice et paraphrasticae, sicut ab eisdem additum est *et a ligno*, quod non est in Hebraeo, nec in Latino, *Psal.* xcv, 10. Ubi enim illi legunt, *regnabit Deus*, Septuaginta addiderunt a ligno, scilicet a cruce; crux enim fuit quasi solum regni Christi. Forte in Hebraeo fuit duplex lectio, una in textu, altera in margine, quales jam multae sunt in Hebraeo, quas Rabbini vocant *keri uktin*; nimirum ut in textu fuerit, *beheret seamim chaïm*, id est *in medio annorum vivifica illud*; in margine vero, *beheret seamim chaïm*,

Et nos docent animum medicum.

id est *in medio duorum animalium*; et utrumque exprimere voluerint Septuaginta, levi enim mutatione *ex scamim fit seamim*; *ex chaïm, chaïot*.

Porro quoad sensum litteralem de Chaldaeorum excidio, duo animalia quae hoc peregrerunt, et populum Dei Babylonem liberaverunt, fuerunt Medus et Persus, sive Darius et Cyrus. Alludit ad Isaiae oraculum cap. xxi, 7: « Et vidit curram duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem camelum, » puta Cyrum qui Persis quasi asinis, et Darium qui Medis quasi camelis dominabatur; hi enim everterunt Babylonem. Unde erat oraculum, editum per Nabuchodonosorem, ait Eusebius lib. IX *De Praepar. Evang.* cap. ultimo: « Veniet Persa mulus, qui vobis, o Babylonii, afferat servitutem. » Mulus est Cyrus natus matre Meda, quasi camela; et patre Persa, quasi asino. Ita Sanchez.

Quoad sensum vero allegoricum, et praecipuum de Christo, varii varii hanc versionem exponunt, primo, Theophylactus per duo animalia accepit duos Cherubim, qui erant super arcam in propitiatorio, *Exod.* cap. xxv, ver. 17, g. d. Typus tuus, o Christe, erat propitiatorium erectum inter duos Cherubim; ibi per umbram typus fuisisti agnitus, imo praecognitus; propitiatorium enim significabat te fore propitiatorem mundi. Secundo, alii per duo animalia accipiunt duos Seraphim, quos vidit Isaia cap. vi, Christo specie humana, quasi incarnato, sedenti in throno exclamare: « Sanctus, sanctus, sanctus, » quasi illa « velantia caput et pedes Domini, » ait S. Hieronymus, in presenti tantum saeculo velent, et alter ad alterum mysterium inelament Trinitatis, et mittatur unus de Seraphim (quod interpretatur ardens), et veniat in terram, et mundet Prophetae labia, et dicat: Ignem veni mittere in terram, et quam volo ut ardeat? Tertio, in medio duorum animalium cognosceris, multi putant de Filio intelligi et de Spiritu Sancto, « eo quod Pater per Filium intelligatur et Spiritum, » ait S. Hieronymus. Pari modo Filius, qui est medius inter Patrem et Spiritum Sanctum, per Patrem a quo gignitur, et per Spiritum Sanctum quem producit et spirat, intelligitur. Quarto, duo animalia sunt duo latrones, inter quos crucifixus, agnitus est Christus, ait idem S. Hieronymus. Quinto, duo animalia sunt duo populi, scilicet Babylonii et Judaei tempore Habacuc, in medio quorum agnitus est Deus, Babylonios evertere, ac Judaeos liberare. Rursum tempore Christi agnitus est in medio Iudeorum et Gentium. Haec enim duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus est Salvator novum et vetus, quae vere animalia sint atque vitalia, quae spirant, et in quorum medio Dominus cognoscat. Septimo, Tertullianus lib. IV *Contra Marcionem*, cap. xxi, per duo animalia accipit Moysen et Eliam, inter quos transfiguratus, et

Christus in medio duorum animalium.

ab Apostolis agnitus est Christus, tanquam Moyses in monte Thabor. Octavo et optime, in medio duorum animalium, id est in praesepio inter bovem et asinum, agnosceris, o Christe, cum in carnem et mundum venies, juxta illud *Isaiae* I, 3: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui. » Quod Patres, quos ibi citavi, intelligunt de Christo reclinato in praesepio inter bovem et asinum. Ita Ecclesia hunc locum accipit in Officio Nativitatis Christi: « O magnum, inquit, mysterium et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in praesepio! » Et in Officio Circumcisionis Domini: « Domine, ait, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium jacebat in praesepio, et fulgebat in coelo. » Et S. Augustinus orat. *Contra Judaeos et Paganos*, cap. xii, afferens *quartam, sextam et septimam* expositionem, quas jam recitavi, addit: « Dic et tu, Habacuc propheta, testimonium de Christo. Domine, inquit, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, Deus, et expavi. Quae opera Dei iste miratus expavit? Numquid fabricam mundi iste miratus expavit? sed audivi quid expavit. In medio, inquit, duorum animalium innotescens opera tua, Deus. Verbum caro factum est: in medio duorum animalium cognosceris: qui quosque descendisti, expavescere me fecisti, quia Verbum, per quod facta sunt omnia, in praesepio jacuisti. Agnovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui. In medio duorum animalium cognosceris. » Ita et Gregorius Nyssenus ac Nazianzenus orat. *in Christi nativitate*, Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 12, S. Hieronymus epistol. 27 *ad Eustoch.*, S. Paulinus epistol. 10 *ad Severum*, Origenes hom. 13 *in Lucam*, S. Ambrosius in *Lucam* cap. II, 7. Quocirca S. Hieronymus epistol. 18: « Praesepe, inquit, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infimo sermone honorandum est. » Porro bovem et asinum non adduxit Joseph, ut voluit Lyraeus, S. Bonaventura et alii, utpote pauper, sed vel herus hospitii, vel quis alius peregrinus, vel pauper indigena. Ita ex S. Chrysostomo Sanchez.

Cur Christus reclinatus in praesepio? Causa prima.

Causa litteralis, cur Christus in praesepio, in medio bovis et asini, reclinari voluerit, fuit illa quam dat Evangelista Lucas cap. II, 7: « Quia non erat eis locus in diversorio; » omnes enim Judaei tunc confluebant ad censum ab Augusto Caesare indictum, qui, quia ditiores jam occupaverant omnia diversorii loca, vel certe aliterverterant Joseph et Mariam, longe ex Nazareth adventantes, jamque totum hospitium praecoccupaverant. Secessit ergo B. Virgo Christum paritura, diversorio exclusa, in stabulum, seu speluncam stabularem adherentem diversorio, quod hospitandis jumentis serviebat cauponis diversorii, ejusque hospitium, exilium sibi locum a bestiis mutuata; quae cum non haberet cunas, reclinavit

Christum infantem in praesepio inter fenum et paleas, ut ibi commodius paulo jaceret, et frigus minus sentiret, praesertim calefactus halitu bovis et asini; ipsa ad praesepe vigilans cum sanctis angelis et Josepho, divinum mysterium admirantibus et adorantibus. Ita Franciscus Lucas et Toletus in *Luca* cap. II. Voluit Christus a sui ortu demonstrare veritatem sui dicti *Matth.* vii, 20: « Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Nimirum « propter nos egemus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus, » II *Corinth.* viii, 9. *Rursum* voluit Christus nasci quasi filius pastoris inter animalia, et poni in praesepio, ut significaret se esse verum pastorem ovium ab Ezechiele praedictum cap. xxxiv, 23. Tertio, ut significaret regnum suum non consistere in fastu, palatiis, opibus et pompa, sed in mundi contemptu; nec ignominie Christo fore hanc pauperitatem, sed gloriae, imo hoc esse ejus signum et notam propriam. Unde angelus postis signum hoc signum nati Messiae dedit: « Invenietis, ait, infantem pannis involutum, et positum in praesepio. » Quocirca clamat stabulum, clamat praesepe, clamant bos et asinus, clamant laetymae, clamant panni Christi; et quid? clamant humilitatem, clamant pauperitatem Christi, clamant penitentiam, clamant austeritatem vitam, clamant contemptum opum, deliciarum et commodorum mundi, uti pie et eleganter docet S. Bernardus *De Nativitate Domini*, serm. 3 et 6.

Exstat typus pauperatis, et pauperis regni Christi, in quo pingitur Christus recens natus positus in praesepio, jacentis in feno inter bovem et asinum, astantibus et adorantibus S. Mariae et Joseph, cum lemmate aureas ejus dictante gnomas: « Hic discis, inquit, o fidelis anima, plenissima resignatione et abdicatione rerum caritatis, et purificatione affectuum liberam, imperturbabilem, quietam et nudam Deo tuo mentem praesentare, ut nihil habens vera in eo omnia possideas. Est enim vera paupertas *EXPERTA*: si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus, *Matth.* cap. xix, 21; *NUDA*: Quid mihi est in caelis, et a te quid vultis super terram? *Psal.* lxxix; *PATIENTIS*: Patientia pauperum non peribit in finem, *Psal.* ix; *CONFIDENS*: Tibi derelictus est pauper, *Psal.* xxxiv; *OPULENTIA*: Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit, *Matth.* xix, 29; *SECURA*: Ego autem mendicium sum et pauper, Dominus autem sollicitus est mei, *Psalm.* lxxxix.

Haec nimirum est conchelo, quam ex praesepio, non verbo, sed facto proclamavit Christus, quamque *tota* vita, adeoque in ipsa morte a patibulo crucis proclamavit, scilicet: Filius hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? vanae sunt omnes mundi opes, vanae pompae, vanae deliciae, vanae honores; vana contentio, vera ambitio: verae opes, verae deliciae, veri honores sunt

S. concha.

Tertia.

Typus pauperitatis.

Conchelo a Christi praesepio.

in oculis apud Deum, qui eas mihi, angelis et sanctis communicat. Has vobis annuntio, has offero, has promitto. Ego sum sapientia Patris, sum puer sapiens, Verbum infans: scio reprobare malum, et eligere bonum. Mihi ergo credite, non mundo mendaci et fallaci: que ego elegi, eligenda docui; que contempsit, contemdemanda monstravi. Ego sum vita, doceo vos veram vitam celestem et divinam consistere in honorum celestium et eternorum amore et desiderio: illam ergo capessite, ideoque fugite vilam animalem et carnalem, que ducit ad mortem presentem et eternam: « Apparuit, inquit Apostolus ad Titum II, 11, gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, et erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie, iuste et pie vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, et adventum glorie magni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. » Quisquis ergo sapiens, quisquis Christi doctrinam sequeris, quisquis christianus es, amores omnes rerum terrenarum exue, eosque pone ante presepem Christi inter bovem et asinum, ac totum cor, totum amorem, omnes spes et res tuas resolute et efficaciter offer Christo Domino, ut cum paupere pauper, cum humili humilis, cum sobrio sobrius, cum spiritali spiritalis, cum celesti celestis, cum sapiente sapiens, cum felici felix efficiare. Hac enim de causa natus, reclinat us in presepem, « ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapiamur. » Jacobat enim in presepem, et fulgebat in celo: lectus erat fenem ei, cuius est terra et plenitudo eius: clauditur hinc canis ille, qui celum et terram implet; alget, et lacrymatur inter bovem et asinum, qui vita, ardor et jubilus est angelorum. Vere S. Bernardus, serm. 4 in Vigilia Nativit.: « Pretiosiores, ait, panni Salvatoris omni purpura, et gloriosius hoc presepem auratis regum solis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris seculi: quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur? qua nimirum regnum celorum emittit, et divina gratia acquiritur, sicut scriptum est: Beati pauperes spiritus, quoniam isorum est regnum celorum. » Idem, serm. 4 De Nativitate: « Salvator, inquit, cuius est aurum pariter et argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem. » Ergo, ut canit Poeta:

Est stabulum celum, sol Christus, Innaque Virgo,
Bos asinusque sumum stigma Bootis habent.

Denique Christus inter bovem et asinum collocatus, reipsa clamat illud Psalmi Psal. LXXII, 23: « Ut iumentum factus sum apud te, » ut tibi serviam per omnia et totus, ut iumentum servit hero: iumentum ergo designat summam Christi humilitatem, obedientiam, resignationem, labores, patientiam, ac tandem sacrificium, mortem et martyrium: quod quasi bovem se offerat victimam Deo, juxta illud Jerem. xi, 19: « Ego quasi

agnus mansuetus; » ubi Vatablus, Pagninus et alii vertunt: Ego autem sicut agnus et bos.

Causa tropologica fuit, quam dat S. Chrysostomus hom. 4 in Lucam, dicens: « Quare in presepem? ut completeretur vaticinium Isaiæ prophete: Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. Scriptum est in alio loco: Homines et jumenta salvos facies, Domine. Si homo es, panem comede; si animal es, ad præsepe accede. » Et eandem fere rationem latius persequitur, alias simul insinuans Gregorius Nysenus orat. De sancta Christi Nativitate, his verbis: « Porro præsepe, rationis atque sermonis expertum animalium domicilium est: in quo Verbum nascitur, ut bos cognosceret possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatum animal, quod peccato simulacrum cultus oneratum atque gravatum est. At brutis quidem conveniens cibus et victus gramen ac fenem est. Qui producit enim gramen et fenem pecoribus, inquit Propheta: rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem ideoque in presepem, quod est habitaculum brutorum, is qui de celo descendit panis vite proponitur, ut etiam bruti, rationali invicem sumpto cibo, rationem adipiscantur. Medius igitur inter bovem et asinum in presepem utriusque dominus est, ut soluto interstitio sepi, ambos in sese creet in unum novum hominem, et ab hoc grave legis jugum auferat, et illud simulacrorum cultus onere levat. » Huc accedit Sophronius Archiepiscopus Constantinopolitanus, orat. 4 in Christi Nativitate: « Deus, ait, in presepem palam proponitur, nobisque qui et fame tabescimus, et iumentorum more nulla pene ratione ducimur, seipsum ultro in cibum exhibet. Equis eulchroto illo alimento tanquam divinis dapibus, divinaque charitate prorsus indigno abjecto, in illius divinitate se non oblectet? vere dixerim: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tripudio, pastorumque more exultio, dum voces ejusmodi plane divinas audio; et ad præsepe, quod Deum excepit, nec non ad celestem illum specum toto animi impetu raptus, mysterium quod in ipso latet, coram conspici, atque hymnum illum: Gloria in excelsis Deo, etc., in recens nati gloriam et honorem deprecere ardentem desidero. »

Idipsum typice significavit Job cap. vi, dicens: « Numquid rugiet onager (id est asinus sylvestris) cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit? Onager enim, qui est asinus liber, significat Gentiles exteros ante Christum; bos vero, jugo assuetus, significat Judæos legi subditos: utriusque enim pabulum factus est Christus. Audi S. Gregorium verba Jobi explicantem more suo mystice lib. VII Moral. cap. IV: « Herba onagri et fenem bovis, est hec ipsa Mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas

et Judæa satisfiat. Quia enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fenem; universitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenem fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenem remaneret. Tunc ergo herbam onager invenit, cum gentilis populus gratiam divine incarnationis exhibuit, quem diu prophetatum expectavit. Unde et natus Dominus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, que jejuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis ejus freno salientur. Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortaliū præbuit, dicens: Qui comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. » Rursus Christus in præsepe jacens, qui, ut ait S. Fulgentius serm. 1 De Epiphania, « portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvulus in præsepe, immensus in celo; vills in panis, pretiosus in stellis, » fecit se escam et pabulum iumentorum: quia homo per peccatum fecit se jumentum, juxta illud Psalm. LXVIII, 21: « Homo, cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Nominatim asinus, cum sit animal pigrum, vorax et lascivum, representat acedos, gulosos et lascivos, juxta illud Esai. XXII, 20: « Quorum carnes sunt ut carnes asinorum. » Bos sua indole referat duros, stupidos, obstinatos, sævos et superbos.

Symbolice, præsepium Christi inter duo animalia representat ea que ex S. Hieronymo, Augustino et aliis paulo ante recensui, nimirum primo, oraculum inter duos Cherubim: hoc enim erat sedes Dei; secundo, thronum Dei, Isai. VI, inter duos Seraphim; tertio, thronum Filii Dei medium inter thronum Patris et thronum Spiritus Sancti; quarto, crucem Christi inter duos latrones; quinto, Ecclesiam Christi collectam ex Judæis et gentibus; sexto, Ecclesiam novi et veteris Testamenti; septimo, tabernaculum glorie Christi inter Mosen et Eliam in Thabor.

Hæc de causa S. Hieronymus Roma in Bethlehem migravit, ut ad præsepe Christi viveret, ad idemque vocavit S. Paulam, Eustoichium, aliasque Romanas matronas et virgines nobilissimas. Quapropter præsepe Christi Romam translatum, in basilica S. Mariæ Majoris conditum magno honore veneratur, æque ac corpus S. Hieronymi, quod congrue juxta illud reconditum est, ut, sicut juxta illud ipse vixit, ita juxta illud mortuus quiescat.

Secundo, aliqui in versione Septuaginta pro *bo* accentu penacuto, id est animalium, a *bo*, id est animal, legunt *bo* accentu circumflexo, id est vitarum; a *bo*, id est vita, quod respondet hebreo *בית חיה* *chaitu*, quod non tantum verbum est, significans *vita illud*; sed et nomen, significans *vitas ejus*. Id secuti Eusebius lib. VI *Demon-*

strat. Evang. cap. xv, Theodoretus et Theophylactus, sic vertunt et legunt, in *medio duarum vitarum cognosceris*, scilicet injuriarum ultor et vindax, ait Sanchez: quia in vita Nabuchodonosoris cognosceris vindax impiorum Judæorum in vita vero Cyri cognosceris ultor impiorum Chaldeorum. Allegorie vero in Christo cognosceris: primo, in medio vite divine et humane: utramque enim in se complexus est Christus, utpote *hæbentes*, id est *homo Deus*. Ita Gregentius Archiepiscopus Tephrensus, *Disput. cum Herbano Judæo*, tomo IV *Biblioth. SS. Patrum*: « In medio duorum animalium, id est, in medio duarum essentialium, scilicet divine et humane, subsistit Christus Deus et homo. » Secundo, in medio vitarum, id est annorum et vite, hebreum enim *בית חיה* *chaitu*, tantum usitatum est in numero duali: unde in eo et singulari, et dualem, et pluralem vitam significat. Christus enim passus redemit nos anno ætatis et vite 34, quæ media est ætas vita humane. Tertio, in medio vite temporalis et æternæ: ab illa enim ad hæc tradit nos Christus, qui nobis factus est via, veritas et vita. Quarto, in medio, id est inter duas vitas, scilicet celestem, beatam, et infernalem miseramque in gehenna: utriusque enim arbiter, iudex, dominus et distributor est Christus. Unde Arabibus veritè *Domine, aspexit ad opera tua, terris autem, vel contritatus sum in annis vite, et in canis cognosceris*. Ita Eusebius, Theodoretus, Theophylactus et alii.

IN MEDIO ANNOUM NOTUM FACIES (id quod sequitur, nimirum, quod), CUM IRATUS FUERIS, MISERICORDIÆ RECORDABERIS. — Misericordiam intelligit liberationem e Babylone, et allegorie redemptionem Christi. Hucusque oratio, id est postulatio, Habacuc: sequitur ejusdem canticum, quo orationem suam stabilit et firmat.

3. DEUS AB AUSTRO. — Hebræus, *Deus de Theman* Vers. 3. *veniet*. Theman enim filius Eliphaz, filii Esau, Gen. XXXV, 15, nomen dedit regioni Idumææ, ex qua Eliphaz amicus Job, cap. iv, 1, cognominatus fuit Themanitis: quia, ut Chaldeus ibidem veritè, fuit *princeps Themanorum*. Inde Idumæa vocatur mons Seir, vel Edom. Esau enim quia pilosus, vocatus est Seir; quia rufus, Edom. Id patet Jerem. XLIX, 7 et 20. Jam quia Theman et Idumæa erat Judææ ad austrum, ut patet J. ne xi, 16, sicut Libanus ex adverso erat eidem ad Aquilonem; hinc Theman significat austrum, puta australem plagam. Sunt qui velint Austrum vocari Theman, id est dextrum, a radice *ימין* *iamin*, id est dextera (ut tau initiale in Theman, sit heemanticum et ascitium, uti est in *talmit*, id est discipulus, et *talmut*, id est doctrina; hinc enim derivantur a radice *ימין* *iamin*, id est didicisti, eo quod aspicientibus nobis Orientem, Austrum dextere assistat. Hinc S. Hieronymus, *Psalm. LXXXVIII*, 42, ubi Septuaginta verterunt: *Aquilonem et mare tu creasti*; quia in Hebreo pro *mare* est *iamin*,

Causa tropologica præsepius Christi.

Symbola præsepius Christi.

Christi paupertas ditissima.

Christi in medio duarum vitarum, quod respondet hebreo בית חיה chaitu.

id est *dextera*, transiit: *Aquilonem et dextram tu creasti: dextrum*, id est *Austrum*: hic enim opponit Aquiloni. Dextera ergo mundi pars est Auster, sinistra Aquilo: hinc illa felicitatis et bonorum, haec infelicitatis et malorum est symbolum. Quocirca Deus et Christus congrue hic ab Austro et dextro venire dicitur, quia venit ut salutem honaque omnia afferat, quasi verus Benjamin, id est filius dextere, fortis, felix, saluffier, ac nos omnes fortificans, fortunans et beans. Auster enim calidus vitam, salutem et omne bonum affert: Aquilo vero frigidus et rigidus, mortem et omne malum. Nam « ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae, » Jerem. 1, 14. Rome tamen et in Italia Auster est turbidus, noxius et pestifer; Aquilo vero saluffier. Unde Horatius lib. 1, *epist.* 2:

Non agitur tumidis velis aquilone secundo:
Non tamen adversa estalem duccimus austris.

Hoc est, nec in summa sumus prosperitate, nec in summa calamitate.

Alludit Habacuc ad *Deuter.* xxxii, 2: « Dominus de Sina venit, et de Scir ortus est nobis (id est ab Austro: tam enim Sina quam Scir, sive Theman, erant australes Judaeae): apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. » Loquitur Moses de lege data a Deo sibi in Sina, deque columna ignis et nubis, qua se Deus Hebraeis ostendebat, iterque per desertum praebat in Chanaan. Idem beneficium celebrat *Psalms.* lxxvii, 8, et *Deborah Judic.* v, 4. Porro per Austrum intelligit desertum Arabiae, in quo siti erant montes Sina, Pharan et Scir, sive Idumaea: haec enim loca omnia erant ad austrum Judaeae. Sensus ergo est, *g. d.* Deus qui olim patribus nostris exeuntibus ex Aegypto, et peregrinantibus per desertum Arabiae in nube se ostendit, dum sensim e montibus Scir et Pharan velut emergens, suamque majestatem per columnam ignis et nubis, perque prodigia ostendens, nos deduxit in Sina: ubi cum fulguribus, tonitruis et terrae motu legem dedit, indeque per mille pericula salvos deduxit in Chanaan: idem se suamque praesentiam et opem ostendet nobis in Babylone. Nam ab Austro, puta a Perside et Media, quae australes sunt Chaldaee, adducet Cyrum et Darium, qui Babylonem vastent, indeque nos liberent, ut in patriam Deo duce et protectore, per tot hostes et pericula, salvi et incolumes redeamus. Idem Deus manifestissime se ostendit, nobisque facie ad faciem apparebit, cum fiet homo: ille, inquam, qui in montibus Scir, Pharan et Sina olim patribus apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delinuit, ut in plenitudine temporis se clare in Christo revelaret. Unde

Allegorie Sina, ubi data fuit lex vetus, typum gessit Sionis, in qua data est lex nova in Pentecoste; Scir, ubi crocatus est aeneas serpens, cujus aspectu sanabantur Hebraei morsi a serpentibus,

Num. xxi, 4 et 6, typum gessit crucis Christi, cujus fide a morsu omni peccati, concupiscentie et diaboli sanamur; Pharan, ubi a Mose designati 70 iudices, impleri sunt Spiritu Sancto, *Num.* xi, 13, typum gessit missionis Spiritus Sancti in Apostolos. Vide dicta *Deuter.* xxxiii, 2.

Hinc rursus S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus hunc locum de incarnatione Christi exponunt, hoc modo: *Domibus ab Austro venit*, id est a Bethlehem, quae ad Austrum est respectu Hierosolymae: quia in Bethlehem naseetur. *Rursum ab Austro*, id est ex calore charitatis, nimis effundens viscera misericordiae suae, quibus visitavit nos oriens ex alto. Auster enim ventus est calidus, vitalis et fecundus, qui plantas vegetat fertilesque efficit. Auster ergo, id est charitas, fecit cum incarnari, *de Pharan*, id est de ore aspicientis: prodiit enim ipse ex ore Altissimi aspicientis et miserantis arumnas et funera hominum. Unde Septuaginta vertunt: *Deus de Theman venit, et sanctus de monte umbrato et condens.* Ubi per montem umbratum et condensum Theophylactus et Euthymius accipiunt B. Virginem Deiparam, quae quasi mons virtutum ceteris sanctis excelsior, obumbratione Spiritus Sancti concepit et peperit Christum, juxta illud Gabrielis promissum: « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te naseetur sanctum, vocabitur Filius Dei. » Alii, ut Theodoretus, accipiunt Hierosolymam et Synagogam, quae erat sub umbra, id est protectione Dei, quaeque erat umbra et typus claritatis et gloriae Dei, quam ipse in Christo aperta quasi nube revelavit et expandit.

Symbolice S. Augustinus, lib. xviii *De Civit.* cap. xxxv, per montem umbratum accipit « Scripturarum altitudinem, quibus, inquit ipse, prophetaus est Christus. Multa quippe ibi umbrata atque condensa sunt, quae mentem quaerentis exerceant. Inde autem venit, cum ibi eum qui intelligit, invenit. » Et S. Gregorius lib. xxxiii *Moral.* cap. 1: Deus, inquit, a Libano venit, et sanctus de monte umbrato et condensio. Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spondidit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbratus et condensus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur. »

S. Hieronymus vero per montem umbratum accipit Deum Patrem, qui hinc habitat inaccessibilem, ac majestate sua quasi umbra omnia protegit: ex Patre enim processit, et venit ad nos Filius; vel coelum, quod terram obumbrat et tegit, quodque est quasi paradisi arboribus pulcherrimis, id est virtutibus, angelis et sanctis, umbratus et densus. Ex caelo enim descendit ad nos Filius, quasi e monte beatitudinis et gloriae ad vallem arumnarum.

Denique Septuaginta vertunt: *Deus ab Africa venit, et sanctus de monte umbrato*, quibus verbis abutebantur Donatistae, quasi Propheta hic eo-

Auster mystice quid?

rum sectam et Ecclesiam denotasset: haec enim cepit in Africa, quam ipsi censebant eandem esse cum Africa. Ridet hoc S. Augustinus lib. *De Pastoralis*, cap. xv et xvi, ubi per Africum accipit Jerusalem, quae sita est ad Africum; et per montem umbratum accipit montem Oliveti: inde enim Christus misit Apostolos ad praedicandum Evangelium per totum orbem. Ita ipse mystice.

Anagogice Pharan, id est *os videntis*, symbolum est caeli, ubi Deus beatis se videndum et fruendum exhibet. Rursum Pharan deduci potest a *Phar*, id est decus, gloria, magnificentia, quae est in caelo: ubi pariter est locus umbratus et condensus, puta amenissimus: ubi quoque Deus sua secreta et occulta iudicia, quae nobis hic umbrata et obscura sunt, suis revelabit, ait Rupertus.

Nota: In Hebraeo additur *selah*, quae vox tantum in hoc cantico, et in *Psalms* reperitur. Unde videtur esse nota cantus et melodiae, ad vocem vel elevandam, per producendam, ut scilicet cantores illi versiculo cui additur *selah*, ob rei gravitatem diutius vel contentius canendo insistere, vel interquiescerent quasi meditantibus: radix enim *sala* significat calcare, urgere, insistere; *selah* vero attollere, elevare. *Selah* ergo idem est quod contentio et elevatio, scilicet vocis ad excitandos audientes, ut rei quae canitur, quasi mirae, gravi et sublimes, aut festivae attendant, illam admirentur, meditentur, illi applaudant, vel ut ostantes, vel ut stupentes, vel ut gratulantes: *selah* enim est nota nunc optantis, nunc affirmantis, applaudentis et confirmantis. Hinc Aquila pro *selah* vertit *semper*; Quinta Editio, *jugiter*, vel *in finem*; Chaldaeus, *in saeculum*, scilicet est, aut *fat* id quod canitur. Hinc et Hebraei in suis epitaphiis, defunctis apprecantur dicendo: « Sit anima ejus in paradiso. Amen, amen; » *selah*, id est semper, in omnem aeternitatem. Septuaginta vero, Symmachus et Theodotus, *selah* vertunt *διεπαύσα*, *g. d.* Cantilenam interruptionem, vel potius immutationem, ait S. Hieronymus loco citato. Quare errant qui *selah*, id est semper, referunt ad sequentia hoc modo: *Semper scilicet fluvis terra*. Nam, ut ait S. Hieronymus *epist.* 138 ad *Marcellam*, « ut solemus nos completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere Explicit, aut Feliciter, aut aliquid ejusmodi; ita et Hebraei, ut quae scripta sunt roborarentur, facere solent, ut dicant, Amen, aut, in sempiternum; aut scribenda commemorant, ut ponant *Selah*, aut transacta felicitate protestantur, pacem in ultimo subnotantes. » Et paulo ante: « Ex quo animadvertimus hoc verbum *Selah*, superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere sempiterna esse quae dicta sunt. »

Sensus ergo est, *g. d.* « Deus ab Austro venit, et sanctus de monte Pharan; *Selah*, » *g. d.* Attendite, expendite, stupete, celebrate jugiter

hanc Dei excelsi in nos dignationem et beneficentiam, quia ejus majestas nobis se ostendere dignata est, imo nostra se carne vestire, ut nobis fieret frater, redemptor et salvator. Aliqui apud S. Hieronymum sic exponunt: *Selah*, *g. d.* « Ipse qui natus est in Bethlehem, et qui in Sina, id est in monte Pharan, legem dedit, semper in universis beneficiis, preteritis, praesentibus et futuris, auctor est et largitor. » Valde probabile est quod S. Chrysostomus, Nyssenus et alii mox citandi censent, *selah* insinuare insignem aliquem affectum, quod psallens, v. g. David, pro movente spiritu afficeretur: qui quia in potestate nostra non est, non in omni psalmo, neque in omni versu a nobis haberi potest: sed prout Spiritus Sanctus movet cor, et affectus hodie ei suggerit: et hanc esse causam cur in *Psalms* tam confuse ac citra ullam quam assequamur rationem, *selah* positum invenitur; alibi vero, ubi illustriores videntur sententiae, omittitur. Porro *selah* ter hoc cantico reperitur, in *Psalms* vero septuagies semel, pro quo Septuaginta ubique vertunt *διεπαύσα*, quod Suidas interpretatur vicissitudinem canendi, alii commutationem metri, alii pausionem spiritus, alii alterius sententiae exordium, alii rhythmum distinctionem, alii vero cujusdam musicae varietatis silentium esse dixerunt. Unde liquet *selah* ad verbum non significare *semper*, ut recte probat Burgensis, sed esse duntaxat notam carminis et musicis, ideoque *selah* non transiit noster Interpres. Septuaginta vero translulerunt *διεπαύσα*. Sed quae et qualis haec nota fuerit, nemo veterum expressit. Unde nihil hic certi afferre possumus. Quocirca Patres et interpretes in variis hic abeunt sententias et conjecturas. Nam *primo*, Marinus in *Lexico* censet *selah* signum fuisse aliorum vocis in cantu, quo cum pervenerant, pulsabant tantum organa, et ob id fere semper, inquit, ponitur in *Psalms* illis, qui nomine *כֹּנָן מִזְמֹר*, id est cantiones et voce et organo canendae, praenotantur. Insuper *selah* supplet metri defectum, et carmen explet, sicut Graeci in carmine deficientis aliqua syllaba, vel pede, eum suppleunt addendo *εὐ, δὲ, μή, γί*, aliasque particulas encliticas. Ita ipse.

Secundo, Eugubinus in *Psalms* iii, ait *selah* esse idem quod certe, profecto, semper, ut verit S. Hieronymus cum vocis exaggeratione; quale est Amen, id est fiat: qui et addit se suspicari Septuaginta retinuisse hebraicum *selah*, sed scriptores per imperitiam pro eo posuisse diapsalma. Sed hoc non videtur probabile.

Tertio, Nyssenus in *Psalms* tract. 2, cap. x, ait *διεπαύσα* esse cessationem et quietem derепente inter psallendum factam, ad receptionem divinitus missae illustrationis. S. Hieronymus, *epist.* 138, videtur negare *selah* esse notam silentii: Quia, inquit, ponitur aliquando in fine Psalmorum. Sed ad hoc responderi et dici possit, fini unius psalmi successisse initium alterius: *selah*

Qualis nota carminis?

autem poni in fine psalmi, ut ibi mens interquiescat, et rei quae canitur immoretur.

Quarto, alii censent *selah* denotare ab altero choro eodem versiculum esse canendum. Unde noster Loricus in *Psalm.* iii, 3, putat *selah* geminationem cantus innuere, a radice *שלה* *salal*, id est accervare, aggerere.

Quinto, S. Chrysostomus, Praefat. in *Psalmos*: Mutatione facta, inquit, musici carminis, aut rhythmus, vel sententiae variatione, diapsalma scriperunt interpretes, ut vir sapientissimus Hippolytus ait.

Sexto, Eusebius, in *Psalm.* iv, censet *δὲ ἀλάλια* esse signum cessationis, ut scilicet Spiritu Sancto insiliente in alterum Prophetam, prior cessaret et taceret, daretque alteri locum, juxta praeceptum Apostoli I *Corinth.* xiv.

Septimo, Agellius, Praefat. in *Psalmos*, in fine, censet haec voce significari mutationem chori totius, cum cantorum praefectus in medio psalmi, partem reliquam alteri choro canendam tradidisset: itaque illam in psallendo successione cantorum, *δὲ ἀλάλια* fuisse appellatam; nam ipsa vox *δὲ* interruptionem et vicissitudinem psallentium significat, et simul ubi haec vicissitudo est, altera in psalmo ipso quoque sententia succedit; sicuti fit dum, finita una periodo, sequitur altera, et verisimile est novae sententiae novum quoque concentum accommodari solitum, ut haec tria simul omnia in diapsalmate inveniri necesse sit, cantorum scilicet, concentus, et sententiae mutationem. Omnes haec sententiae in eo conveniunt, quod *δὲ ἀλάλια*, juxta sui etymon, denotarit mutationem aliquam carminis et cantus. Eandem ergo denotat *selah*; pro eo enim Septuaginta et alii verterunt, *δὲ ἀλάλια*. Porro si ex etymo *selah* conjicere licet, mutatio haec fiebat vel elevando, vel contendendo, vel continuando vocem. Radix enim *sal* significat aggerare, caleare, insistere: et hoc ipsum significare vulerent alii interpretes, dum vertunt *semper*, uti initio dixi. Quocirca Genebrardus in *Psalm.* iii, et alii multi asserunt *selah* signum esse non tantum concentus musici, sed et exclamationis et attentionis, ut mens et cogitatio excitentur ad id quod canitur perpendendum et ponderandum.

OPERUIT COELOS GLORIA EJUS. — Septuaginta, *δὲ νύκτας*, id est virtus, sive potentia ejus, q. d. Ille gloriosus ab Austro veniens, olim gloriam suam tum in caelo, tum in terra ostendit, ut merito eum admirantes laudibus celebrarint caelites et terrigenae, praesertim Judaei in Sina et deserto, cum viderunt fulgura, tonitrua, ignem, fumum in Sina, quibus gloria Dei caelum, id est aera, compleve et operire videbatur. Rursum, cum e caelo eis dedit manna continuum et coturnices, *Exod.* xvi, item columnam ignis et nubis, aliaque portenta plurima. Ita Chaldaeus, Arias, Clarus et Jansenius. Simili modo majestas ejus suam gloriam, id est gloriosam potentiam, vindictam et

miseriordiam, ostendet, cum Babylonem ejusque monarchiam per Cyrum exscindit; nosque ex ejus captivitate liberabit, ait Albertus et Lyranus.

Allegorice, id factum est in Christi tum natiuitate, ait S. Hieronymus; gloriosa enim Dei sapientia, potentia et bonitas caelum et terram complevit, cum Verbum caro factum, hominem Deo, et caelum terrae univit. Unde merito in ea eccinerunt angeli: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis; » tum in ejus gloriosa doctrina, vita et miraculis, ac praesertim in gloriosa resurrectione et ascensione ad caelum. Ita Theodoretus et Theophylactus. Simili modo Psaltes, *Psalm.* lvi, 42, Dei immensam gloriam celebrat dicens: « Exaltare super oculos Deus: et super omnem terram gloria tua. » Et Isaias cap. vi, 3, vidit Seraphinos Deo acclamantes: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. » Et Ezechiel cap. i, vidit currum Cherubicum majestatis et glorie Dei, quatuor rotis per totum orbem celerrime quaquaersum agitari.

4. SPLENDOR EJUS UT LUX ERIT, — q. d. Claritas et splendor Dei in Sina fuit quasi lux solis terram illustrans: apparuit enim in igne maximo. Unde *Deut.* xxxiii, 2, de eo dicitur: « In dextera ejus ignea lex. » Vide ibi dicta. Ita Chaldaeus et alii jam citati. Allegorice, nascente Christo angelus pastoribus eum annuntiavit, « et claritas Dei circumfulsit illos, » *Luc.* ii, 9. Similiter omnibus virtutibus splenduit vita, passio, mors et resurrectio Christi, quibus totum orbem illuminavit. Unde S. Augustinus lib. X *De Civit.* cap. xxxi, sic ait: « Splendor ejus ut lux erit, quid est, nisi fama ejus credentes illuminabit? » Chaldaeus verit: *Porro splendor ejus ut splendor primigenius apparuit.*

CORNUA IN MANIBUS EJUS. — Hebraeum: *Cornua e manu ejus ipsi*, q. d. In manu habet cornua, quae ipsi sunt robor, ut ea in hostes exerens, illos suis configat? Queres, quanam haec cornua Dei? Primo, Vatablus, Mariana et Jansenius accipiunt cornua, id est radios lucis, quos Deus dans legem Mosi, ei afflavit et quasi affixit in Sina, ut suam potentiam et terribilem vindictam Hebraeis ostentaret, ne legem ab eo datam violare auderent; ut Moses hic vocetur manus, id est instrumentum et mediator Dei legislatoris, vibrans radios lucis, qui cornua vocantur ob radiorum pyramidalem et tortuosam figuram, qualem habent cornua. Et hinc poetae Vulcanum, ignis et lucis praesidem, claudum finxisse, ait Guevara. Unde Syrus verit: *Splendor ejus ut lux erit, et in cornibus manuum ejus*, scilicet est ille splendor et lux.

Secundo, alii melius accipiunt radios lucis, quos ex se suisque tabulis legis, quas dabit Mosi et Hebraeis, vibrabat Deus. Unde Vatablus et Pagninus veritunt: *Splendores de manu ejus fuerunt ei*; et Chaldaeus: *Scintillae a quadriga gloria ejus pro-*

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

Ver.

derunt. Tabula enim legis ignite radios longe ejectionabant. Unde *Deut.* xxxiii, 2, vocatur « ignea lex. » « Cornua » ergo « in manibus ejus, » idem est cum eo quod praecessit: « Splendor ejus ut lux erit. » In hoc enim lucis et splendoris apparatu, quasi in quodam tenorio et umbraculo, Dei majestas, vis et fortitudo latuit, et sese velavit ac abscondit, ut eam videre Judei non possent, sed admirari et adorare. Ignea enim tabulae in manibus Dei, radios pyramidales instar cornuum vibrantes, significabant cornua et arma Dei esse ignem, hoc est esse ignea, efficacissima et penetrantissima, quae in legis violatores vibratus esset. Huic expositioni favet versio Syriaca, quam paulo ante recitavi.

Tertio, Guevara per cornua Dei accipit diabolium et mortem. Unde Propheta haec cornua explicans, inquit, subjicit: « Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus, » q. d. Deus per diabolium et mortem, quasi per duo cornua, in Chanaanos, pro Judeis pugnans, irruit, eosque occidit, protulit et expulit. Diabolus enim et mors sunt vasa, id est instrumenta, fortissima interfectionis Deo, ut ait Ezechiel cap. ix, vers. 4, et quasi narthecia fortitudinis ejus.

Quarto, planissime per cornua accipias robor, vires et arma Dei: horum enim symbola sunt cornua. Alludit enim ad *Deut.* xxxiii, 17: « Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes. » Et *Psalm.* xlii, 6: « In te inimicos nostros ventilabimus cornu. » Hinc tollere cornua, est animo offerri, ut *Psalm.* lxxiv, 5: « Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus: Nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem. » Simile est illud Poetae:

Namque in malos accerrimus, parata tollo cornua.

Sensus est, q. d. Deus post datam legem in Sina, ut eam suumque populum tueretur, instar tauri fortis et ferocis assumpsit et exercuit robor suum, vires et arma, quasi fortissima cornua, quibus angelus Hebraeorum dux per desertum instructus, ab eis mortem et daemonem repulit, eaque in Chanaanos immisit, eosque disperdidit, ac pro eis in eorum terra collocauit et substituit Hebraeos. Simili modo Deus Chaldaeos per Cyrum et Darium, quasi per duo sua cornua, perque eorum arcus, cornuum speciem habentes, configet et disperdet pro Judeis suis liberandis, inquit Albertus, Hugo et Lyranus.

Mystice, cornua Christi est crux, seu fortitudo crucis, quae superavit daemones omnesque hostes, ita ut ante currum suum triumphalem victos in triumphum ducat mortem et diabolium. Hinc Christus factus est nobis cornu salutis, ut canit Zacharias *Luce* i, 69. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Rupertus, Haymo, Ribera, Emmanuel

hinc, et S. Augustinus loco jam citato, Eusebius lib. Vi *Demonstr. Evangel.* cap. xv, S. Cyprianus lib. II *Contra Judaeos*, cap. xxi. Cornua ergo crucis fuerunt cornua et arma Christi, quibus confregit suos nostrosque inimicos. Jam licet proprie manus Christi fuerint in cruce ejusque cornibus, tamen vicissim crux ejusque cornua fuerunt in manibus Christi, tum quia clavi crucis fuerunt in manibus Christi, tum quia crucis distensio et cruciatus fuit in manibus Christi, tum quia cornua, id est robor Christi, fuit in manibus ejus crucifixis; hisce enim solvit lytrum pro peccatis nostris, nobisque meruit gratiam et salutem; tum denique per hypallagen Hebraeis usitatam, cornua crucis fuerunt in manibus, quia manus fuere in cornibus crucis. Sic calcamenta dicuntur esse in pedibus, id est pedes in calcamentis, *Exod.* xii, 14. Sic Poeta ait: « Perflavit fistula buccas, » pro « perflavit bucca fistulam. » Unde Arabibus verit: *In civitate monum suarum posuit fortitudinem suam in templo.*

Tropologie, haec cornua fuerunt patientia, humilitas ceteraeque virtutes Christi, sed praesertim incensa, invicta et fortissima ejus charitas, amorque in Deum et homines, quae eum ad crucem et mortem adegit. Hisce amoris sui telis vulneravit corda primorum christianorum, praesertim martyrum, ut S. Stephani, S. Pauli, S. Joannis, S. Ignatii, S. Laurentii, etc., eaque ad se redamandum, ac vitam pro vita reddendam coegit et accendit, ut desiderio insatiabilis martyrii et patiendi plurima pro Christo arderent. Unde Septuaginta veritunt: *Cornua in manibus ejus, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suae.* Nimirum idecirco, ait S. Hieronymus: « Deus Pater operuit caelos gloria, et terram replevit laude, et cornua, id est regnum, posuit in manu Filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligere, non leviter, sed in virtute, » id est vehementer et fortiter. Fortis enim sicut mors fuit ejus in nos dilectio, dura sicut infernus emulatio, quae proinde fortis et validas amoris sui sagittas, utpote igneas, in nos jacit, quibus mentes nostras sauciat et penetrat, ut quasi cervi jaeulo amoris ejus confixi, per crucem, per tela, per hostes et ignes post eum curramus, dicentes cum S. Paulo: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? » etc. Haec fuerunt cornua S. Stephani, quibus Paulum aliosque confixit et Christo subjugavit. Audi S. Fulgentium serm. De S. Stephano: « Stephanus ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei servientibus Judaeis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus interesse. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur: charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter servientem, et quem

Tropologie, charitas et humilitas sunt cornua Christi.

Allegorice, cornua Christi sunt cornua crucis.

habebat in terra persecutorem, in caelo meruit habere consortem. »

IBI ABSCONDITA EST FORTITUDO EJUS. — Pagninus: Ibi fuit abscondito fortitudinis ejus; Tigurina: Illic latibulum fortitudinis ejus; Vatablus: Ibi fuit reuelata et detecta fortitudo ejus, quae prius erat abscondita. « Ibi, » scilicet tum in splendore, tum in cornibus et manibus, id est potentibus suis operibus per Mosen et Josue editis, Deus latens abscondebatur se suamque majestatem et fortitudinem: parique modo eam abscondet in expugnatione Babylonis et liberatione Judaeorum per Cyrum. In Cyro enim erat fortitudo Dei abscondita, ait Albertus. Allegorice in infirmitate humanitatis, passionis et crucis Christi abscondita fuit ejus majestas, divinitas et fortitudo immensa. Unde eam exerens in passione, totam terram ingenti terrae motu concussit, saxa et rupes dissecuit, solem et lunam obscuravit. Septuaginta, ut dixi, vertunt: Posuit dilectionem robustam fortitudinis suae, id est per fortitudinem suam, puta Pater per Filium suam, inquit Cyrillus in Catena. Aut, ut alii, q. d. Dum Christus natus et passus est pro nobis, ostendit nobis robustum suum amorem. Passus enim est non ex infirmitate, sed ex valida fortique dilectione; ita ut fortitudo ejus et robor fuerit dilectio, ac vicissim dilectio illi fuerit robor et fortitudo ad omnes labores, dolores et crucis fortiter superandas. Ita Theodoretus et Theophylactus. Aut, ut alii, q. d. Posuit dilectionem robustam fortitudinis suae, hoc est, juxta mensuram immensi amoris, admensus est Deus Pater Filio potentiae suae vim, quam tum ad ejus agones, labores et dolores immensos generose susinendos; tum ad ejus exaltationem et gloriam immensam, in resurrectione et ascensione in caelum ostendam adhiberet et exeret. Ubi enim amor est machina, quantum sperari potest elevatio ponderis, etiam maximorum? Omnis enim ponderis pondus et libramentum est amor. Vere S. Augustinus: « Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror. » « Nam velut amores corporum, » ait idem lib. XI De Civit. cap. xxviii, « momenta sunt pondorum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur quocumque fertur. » Et S. Gregorius: « Machina mentis est vis amoris, quae dum hanc a mundo extrahit, in alta sustollit. » Et S. Bernardus: « Labor meus vix est unius horae, et si majoris morae, non sentio praeter amorem. » Ita Christus amoris pondere superavit omne passionis et crucis pondus, adeo constanter, ut illud praeter levitatem non videretur sentire. Rursum, pondus amoris quo in eum ferebatur et deprimebatur Pater, tantum erat, ut aeternum et divinum gloriae pondus, quod illi resurgenti et ascendenti dedit, praeter ejus amorem, et praeter Filii meritis, leve et exiguum ei videretur.

Pondus cordis est amor.

Vers. 5.

5. ANTE FACIEM EJUS IBI MORS. — Hebraice דָּבַר דֵּבַר, id est pestis, et inde consequens mors. Ita

Aquila, Symmachus, Quinta Editio, Noster, Pagninus, Tigurina, Clarius, Arias et Vatablus. Verum Septuaginta et Theodotus alii punctis legentes דָּבַר דֵּבַר, id est verbum, vertunt: Ante faciem ejus ibi verbum, quo scilicet jubebit hostes occidi. Loquitur de peste et strage quam Deus immisit Chanaanais, qua eos attrivit, ut venientes Hebraei in Chanaan, eam facile occuparent, juxta id quod promiserat per Mosen Exodi xxii, 27: « Terrorem meum mittam in praecursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris, etc., emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevaum, et Chanaanum, et Hethaem, antequam introeas: » idque reipsa Deum praestitisse, patet Josue xxiv, 12. Similes plagas promississe Deum in Chaldaeos, ut a Cyro facile vincerent, docet Lyranus.

Allegorice, Christus sua cruce et morte delavit mortem et diabolum, eosque quasi ante se in triumphum duxit, uti docet Apostolus Col. ii, 15, praesertim cum per Apostolos diabolum ex templis et idolis, aequae ac ex mentibus hominum expulit.

EGREDIETUR DIABOLUS ANTE PEDES EJUS. — Pro diabolus hebraice est שָׂרֵפֶן reshaph, quod significat omne id quod instar avis volando adurit, et adurendo volat, ut fulgetra, scintillas, sagittas ignitas: inde significat diabolum, de quo ait Christus Luc. x, 18: « Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem. » Hic enim quasi fulgur in terra omnia afflat, omnia vastat, omnemque quam potest noxam hominibus affert. Quocirca Homerus et Gentiles ex hoc Luciferi casu finxerunt deam Aem, id est noxam, quae a Jove caelo deturbata in terra vires suas exserat, omnibusque noceat: illam enim homines in universis malis implicare, mentes seducere ac perturbare. Ita Vilalpando, Ezech. xxviii, 23. Vide quae de reshaph dixi Deuter. xxxii, 24. Significat ergo Habacuc quod Deus per diabolum et angelos malos, ut ait Psaltes Psalm. lxxvii, 49, fulgetra, pestes, sagittas igneas, etc., in Chanaanos immiserit ante ingressum Hebraeorum in Chanaan, quibus eos prostravit et disperdidit. Unde Tigurina vertit: Faciem ejus aueredit lues, et egressus est deflagratio ad pedes ejus; Chaldaeus vero: Ab ejus conspectu emissus est avulsus mortis, et prodit in flamma ignis verbum ejus; alii qui citatur in editione Romana Septuaginta: Ante faciem ejus praecedet ruina, et ad pedes ejus sequuntur maxima volutatio; Syrus et Arabicus Antiochenus: Exiit coluberis (avis) ad pedem ejus, vel ad ovile ejus, vel ad transmigrationem ejus; Arabicus Alexandrinus: Verbum incedet coram eo: egressus est autem in agros; sequuntur vero illum volucres.

Allegorice, S. Hieronymus hoc refert ad diabolum tentantem Christum in deserto, qui ab eo victus turpiter aufugit. Plenus id refertur ad totam vitam et mortem Christi ac Apostolorum: hisce enim sensim prostratus et ejectus a mundi regno est diabolus.

Vers. 6.

6. STYTTI, — non diabolus, sed Deus victor mortis et diaboli, q. d. Deus post longam cum Hebraeis peregrinationem per desertum, multaque bella et discrimina, victor ingressus in Chanaan, ibi in tabernaculo et arca foederis constitit in Galgalis, Josue iv, 19, ac terram promissam per Josue, cap. xv, dimensus, aequa sorte distribuit inter duodecim tribus Israel, cum prius solo quasi aspectu et minaci vultu dissolvisset et perdidisset gentes Chanaanorum, eorumque reges et principes, qui giganteo robore, magnitudine et multitudine militum, quasi montes quidam firmi, aeterni et inexpugnabiles esse videbantur, ac per multa saecula regiones illas invicti possederant: sed aeternitas Dei, puta Deus aeternus sedens in propitiario et arca inter Cherubim, certis, securis et victribus itineribus deducens populum Israel, per hostes hosque suos victor incedens, eos incurvavit, contrivit atque comminuit. Simili modo Deus per Cyrum expugnata Babylone, in ea quasi victor constitit, indeque subjectas Babylonis regiones dimensus, inter principes Cyri distribuit, profligatis omnibus qui Chaldaeorum partes propugnabant. Ita Albertus, Lyranus et Higo. Unde Syrus vertit: Ipsius sunt incesiones (itineraria) quae a saeculo; gressus, et gressuum vestigia; Arabicus Antiochenus: Infirmati sunt colles qui sunt a saeculo, illi persecrantia quae est a saeculo; Arabicus Alexandrinus: Contrita sunt valles in fortitudine ejus, et lavati sunt colles in perpetuum; egressiones ejus a saeculis aeternis.

Allegorice, Christus aeternus omnes gentes Apostolis dimittens et distribuens, uti S. Joanni Asiam, S. Mattheo Aethiopiis, S. Andreae Achaiam, S. Thomae Indiam, etc., eas omnes sibi suaeque fidei subiecit, idque dum cognoscerent et admirarentur itinera aeternitatis ejus immensa, quae ipse hominum causa confecit, ut e caelo et aeternitate ad terram tempusque nostrum, factus homo descenderet: nam « egressus ejus a diebus aeternitatis, » ait Michaeas cap. v, 2. Audi S. Augustinum lib. xviii De Civit. cap. xxxii, explicantem versionem Septuaginta: « Stetit, et terra commota est: quid est, nisi quod stetit ad subveniendum, et terra commota est ad credendum? Respexit, et tabuerunt gentes, hoc est, miseris est et fecit populos penitentes. Contritii sunt montes violentia, hoc est, vim facientibus miraculis elatorum contrita est superbia. Defluxerunt colles aeternales, hoc est, humiliati sunt ad tempus, ut erigerentur in aeternum. Ingressus aeternus ejus pro laboribus vidi, hoc est, non sine mercede aeternitatis laborum charitatis asperi. »

Itineraria aeternitatis Dei est Christus.

Quaeres, quaenam ad litteram sint itinera aeternitatis? Primo, Vatablus per haec itinera intelligit motus orbium coelestium: hi enim sunt constantes et quasi aeterni, q. d. Deus non solum gubernat colles saeculi, id est homines potentes, et mundum hunc inferiorem, sed et itinera aeternitatis, id est mundum superiorem, orbisque et

motus caelestes. Multi enim Gentiles putarunt regna et res humanas a stellis regi, hocque esse fatum. Ex quo, ait Arias, regum et principum fastidiosus insolentia ortum habuit, ut se caetero mundum dominos natura et fato esse crederent, e tanquam montes quosdam et colles, caeteris mortalibus se principes caelesti quodam jure constitutos, quo dementia morbo ulamam christiani principes non teneantur! Nuper quidam primarius, rogatus cur tali calculum ad principatum dedisset, respondit: « Sic erat in fatis. » Cui argute alter: « Imo sic erat in fatuis. » Error hic est certus: nam caeli et stellarum nulla est vis ad regna et imperia, sed ea consignantur ex solo Dei consilio et voluntate, qui pro arbitrio hunc humiliat, illum exaltat, et regna ab uno ad alium transfert: « Domini enim sunt cardines terrae, et posuit super eos orbem, » ut canit Anna I Reg. ii.

Secundo, Hebraicum עֲלָמִים olam significat saeculum et mundum. Unde sic plane et clare veritas: Incurvati sunt a Deo colles olam, id est mundi et saeculi, quia itinera, id est successiones et vicissitudines olam, id est mundi et saeculi, ejus sunt. Quocirca Chaldaeus vertit: Potestas saeculi illius est, q. d. Deus incurvat colles, id est principes solio suo dejicit, aliosque substituit, quia ipse praeter mundo et saeculo, ejusque itinera, id est ordinem, gyrationem, motus et vicissitudines moderatur, regit et distribuit ad libitum.

Tertio, olam Septuaginta et Noster vertunt, aeternitatem; radix enim עֲלָמִים olam significat abscondere: inde olam vocatur aeternitas, cujus duratio et finis est absconditus et impenetrabilis: quia aeternitas est duratio immensa quae nullum habet terminum, q. d. Colles olam, id est aeternitatis, puta principes Chanaan, qui factabant se ab omni aevo et saeculo Chanaanem possedisse, ac in omne aevum possessores, incurvati, loco et regno moti, depressi et contriti sunt a Deo; qui illis longe est antiquior, ac prior Chanaanem possedit: quia ipsi soli substant itinera aeternitatis, id est omnium temporum et saeculorum vicissitudines, volubilitates et series, quae sub ipsius aeternitate per partes, quasi per varias vias et itinera decurrunt, transeunt et perambulant (unde hebraeo הִלְכוּ הַיָּמִים halichu, quod Noster vertit, itinera, proprie veritas, perambulationes vel transitus); ipse enim est rex saeculorum, preses temporum, dominus, et, ut Syri loquuntur, gigas aeternitatis. Unde Pagninus vertit: Incurvaverunt se colles longi temporis ab itineribus saeculi ejus. Aeternitas enim Dei est fons, origo et causa omnium temporum et saeculorum: haec enim ab illa emanant et oriuntur, sicut radius a sole, sicut aqua ex fonte, sicut scintilla ex igne. Quae sicut varii radii vicissim et successive emanant a sole, variae aquae ex fonte, variae scintillae ex igne; sed idem semper manet constatque sol, idem fons, idem igitur, qui hos radios, has aquas, has scin-

Secundo.

Tertio.

Deus est gigas aeternitatis.

Alteri-
tas est
axis sa-
croborum.

tillas jugiter ejaculatur: ita varii dies, anni, sætales, tempora, omnesque sæculorum ordines et vicissitudines ab æternitate Dei emanant; sed ipsa sibi semper eadem, fixa et immota constat æternitas. Ipsa enim est id quod in rota axis, quod in circulo centrum. Sicut enim circa axem volvitur rota, et circa centrum circulus, puta sicut circa centrum terræ gyraunt et volvuntur omnes orbis celestes et elementares: ita circa æternitatem quasi axem et centrum, rotant et volvuntur omnia tempora, et quæcumque per tempora singula oriuntur, occidunt, veniunt, abeunt, attolluntur, sublata incurvantur et deprimuntur. Hinc Cesar Ripa in *Iconologia*, part. I, pag. 159, pingit divinitatem quasi matronam albis vestitiis, habentem in capite flammam ignis, quæ in tres partes æquales se dispergit: utraque manu tenet globum e lapide lazuli, utriusque insidet flamma. Vestis alba denotat puritatem divinæ essentia: flamma ejus amorem et ardorem: sectio in tres partes æquales, trinitatem personarum: globus sphaericus æternitatem; eamque duplicem, unam quam in se habet, alteram quam angelis et hominibus beatis in sui fruitione communicat, idque per Christum qui duplicem habet naturam utriusque perfectam, ideoque quasi sphaericam. Hinc rursus Deus ob suam æternitatem omnia tempora complectentem vocatur « ævum ævorum » a S. Dionysio cap. v *De Divin. Nomin.* Et S. Bernardus serm. 80 in *Cant.* « Tempora, inquit, sub ea (divina et æterna natura) transeunt, non ei; futura non expectat, præterita non recordatur, presentia non experitur. » Itinera ergo æternitatis sunt itinera temporis, puta præteritum, præsens et futurum, quæ sub æternitate decurrunt et transeunt: decurrunt enim, et ut ita dicam, itinerante tempore quolibet, nostro modo concipiendi videtur cum eo pariter decurrere et itinerari æternitas illi connexa et commensa, ut illud propellat, cogatque sequenti et succedenti locum cedere. Alludit ad itinera Hebræorum in deserto per 40 annos, quibus Deus cum illis continue profectus est ad invadendos et debellandos Chanaanos: hæc enim itinera, quia tam longa, fuerunt *olam*, id est sæculi, et secularis ejusdam æternitatis. Plenius S. Augustinus lib. I *Confess.* cap. vi: « Summus, inquit, es, et non mutaris; neque peragitur in te hodiernus dies, et tamen in te peragitur, quia in te sunt et ista omnia: non enim habent vias transcendendi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies; et quam multi jam dies nostri et patrum nostrorum pro hodiernum tuum transierunt, et ex illo acceperunt modos, et utcumque existerunt, et transibunt adhuc alii, et accipient, et utcumque existent. Tu autem idem ipse es, et omnia crastina atque ultra, omniaque hesternæ et retro, hodie facies, hodie fecisti. »

Denique proprie itinera, vel *deambulationes æternitatis sunt et*, scilicet Deo, ut habent Hebræa,

g. d. Deus deambulat, id est degit, versatur, vivit et viget in altis illis suis montibus æternitatis, indeque subjectas læscæ valles et colles temporum, regnum et sæculorum despiciet, incurvat, immutat, moderatur et dirigit prout ei libuerit. Rursus, ex æternis hisce suis sæculis, quæ mente fingimus æternitati ejus coexistisse, magnis quasi itineribus æternitati id est plurima et infinita quasi sæcula transmisit, pervasit et pervenit ad initium temporis, quo mundum creavit, conservat, exornat, gubernat, immutat, atque ad initium synagogæ suæ, ut nimirum expulsi et contriti Chanaanæ per Josue, in eorum regione collocaret Israel, in eoque fundaret suam Ecclesiam, suum templum, suum sacerdotium et regnum; quod proprie hic spectat Habacuc. Quocirca Guevara per *æternitatem* accipit Deum æternum: nullum enim attributum Dei majestatem hominibus magis admirandum et reverendum facit, quam æternitas, g. d. Contriti sunt colles, id est principes Chanaan, itinerante cum Hebræis, pro eisque depugnante Deo, qui est ipsa æternitas, id est æterna majestas: quia ubicumque illa in Chanaan itinerans cum eis fixit pedem, ibi sibi suisque Hebræis sedem constituit. Olim enim pedis immersione in agrum vel locum fiebat usucapio, id est capiebatur loci possessio. Unde illud *Psalm.* lxx. 10: « In Idumæam extendam calcamentum meum, » g. d. Immissione calcæ et pedis occupabo et vindicabo mihi Idumæam. Porro Iudæi Propheta in voce *olam*: nam prius *colles olam* vocat principes mundi, mox itinera æternitatis Dei: quia aliud est *olam* Dei, aliud *olam* hominum et principum. *Olam* Dei est æternum et æternitas: *olam* hominum est terra et tempus. Sic Apostolus Iudæi in voce *peccatum*, dicens: « Christus de peccato damnavit peccatum. » Et: « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, » II *Corinth.* v. 21.

Mystice S. Bernardus, serm. 10 in *Psalm.* *Qui habitat*: itinera, ait, æternitatis æternique Dei sunt misericordia et veritas. « Ab his itineribus incurvati sunt colles mundi, superbi demones, principes mundi iustus, qui viam veritatis et misericordias nescierunt. Quid illi et veritati, qui mendax est et pater ejus? quando ille unquam misericors fuit, qui homicida erat ab infans? In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati sunt ab itineribus æternitatis, dum a viis Domini quæ rectæ sunt, per anfractus suos et distorta, non tam itinera, quam præcipitia corruerunt. Quam vero prudenter atque utilis illi quidem colles ab his itineribus incurvati et humiliati sunt ad salutem! An non humiliatos jam cernere colles mundi, dum sublimes quique atque potentes devota subiectione inclinantur ad Dominum, et ejus vestigia adorant? Numquid non incurvantur, cum ab ipsa sua perniciosa celsitudine vanitatis et crudelitatis, ad humiles semitas convertantur, misericordiae et veritatis? »

Moraliter, itinera septem a septuaginta, ex S. Bonaventura.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Septimum.

Moraliter, scripsit S. Bonaventura opusculum *De septem itineribus æternitatis*, quod exstat tom. II Opuscul. ejus, in quo docet et pie more suo docet et describit septem itinera ad ingrediendum intrinsecum secretum et æternum, quod est animæ patria, puta ipsum penetrare divinitatis et æternitatis Dei, in quo consistit æterna vita et beatorum nostra. *Primum* iter, inquit, est æternorum recta intentio, ut scilicet anima aggrediatur unum æternum intendendo, unum æternum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo, propter unum æternum, quod est optimum et unum necessarium, et finis quietans et consummans multitudinem omnium desideriorum in unum, quod non auferetur ab eo in æternum, quod Magdalene assignavit Christus *Luce* cap. x. 42. *Secundum* iter æternitatis est æternorum studiosa meditatio, juxta illud S. Gregorii, IV *Moral.* xxviii: « In solitudine manere, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et in una intentione æternæ patriæ, in amore intima quietis anhelare. » *Tertium* iter est æternorum limpida contemplatio (quæ est apex et culmen meditationis) quam ex Richardo ita describit: « Contemplatio est libera mentis perspicacia, in sapientie spectacula cum admiratione suspensa, » juxta illud *Job* vii: « Suspendium elegit anima mea. » Suspendium illud est extensio mentis in æterna spectacula, ut cum fieri potest, nunquam ex intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis acies mentis inde fluctat, ut dicit *Psalmista*: « Oculi mei semper ad Dominum, » *Psalm.* xxiv. *Quartum* iter est æternorum charitativa affectio, de qua S. Bernardus serm. 83 in *Cant.*: « Magna res est amor, si ad suum recurrit principium, si suæ origini rediit, si refusus suo fonti semper ex eo sumit, unde jugiter fluat. » Amor enim transformat amantem in similitudinem amati in quantum potest, non solum quantum ad substantiam, sed et quantum ad operationes arduas et difficiles. Unde S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. vi: « Sancti viri, inquit, cum ad desiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vite se sublevant, ut audire jam quæ illi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant. Valde enim intolerabile æstimant, quidquid id non sonat quod inhis amant. » Et inferior cap. vii: « Et multiplicata charitate majoribus desideris æstant, et jam pervenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatu corporis anhelant. » Ita sponsa *Cant.* v. 8: « Adjuro, ait, vos, filie Jerusalem, etc., ut nuntiatis dilecto meo quia amore langueo, » g. d. Præ magnitudine amoris omnia temporalia sunt mihi fastidium; unde langueo. Langor autem iste causatur ex amore perfecto. O quam durum est amanti, animum dimidiare cum Christo et mundo! Rursus: « Nihil tam durum et ferreum, quod non igne amoris vineatur, » ait S. Augustinus lib. *De Moribus Ecclesie*, cap. xxii. *Quintum* æternitatis iter est æternorum oc-

culla revelatio. Assidua enim revelationum spiritualium ruminatio præbet assistendum cognitionum et exultationem mentis incrementum: et ex hoc mens excessum æternorum, et ingressum occultorum consequitur. Qui enim ardentius diligit, profundius conspiciunt, et subtilius discernunt, et evidenter cognoscunt: quanto ergo æterna ardentius amantur, tanto perfectius cognoscuntur. Unde S. Gregorius XVIII *Moral.* dicit: « In sanctis fit æternitas, aspiciendo Dei æternitatem. » Sic irradiante menti radio divino, ducitur illa cum Mose in caliginem occultis silentii, in qua revelat et vere apparet Dominus superintellectualiter, ait S. Dionysius lib. *De Myst. Theol.* II. *Septimum* iter est æternorum experimentalis quædam prægustatio, quam habuit *Psalm.* dicens *Psalm.* xxxvii, 9: « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. » Et sponsa *Cant.* II, 3: « Fructus ejus dulcis gutturi meo. » Et cap. v, 1: « Comedi favum cum melle meo. » Favus, inquit Origenes, est cera virginea cellulis distincta, melle repletis. Quid ergo est aliud, « Comedi favum cum melle meo, » nisi manducare corpus virgineæ carnis dulcissima divinitate repletum? et sic per gustum humanitatis pervenitur ad gustum divinitatis, et ideo ad prelibam æternitatis. Talem prægustum et prelibationem æternæ vite multi sancti senserunt, et sentiunt in pia et ardenti sumptione Eucharistia. De hisce loquens S. Gregorius lib. XXIV *Moral.* vii, explicans illud *Job*: *Videbit faciem ejus in jubilo*: « Plerique, inquit, contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam prius quam spoliatur carne, hilarescunt, dum in jubilo faciem Dei conspiciunt: quod fit, cum aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit. Ibi lumen vivens videt: quia jam omni mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhaeret, etque inherendo quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconvertibilem speciem dum respicit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem vivendo formatur. » *Septimum* iter est æternorum meritoria operatio, sive deiformis, id est divine operationis conformis actio, mores et vita. « Opera enim istorum sequuntur illos, » *Apoc.* xiv. Sicut, inquit S. Bernardus lib. V *De Consider.* cap. v, Deus in Seraphim amat ut charitas, in Cherubim noscit ut veritas, in Thronis sedet ut æquitas; oportet etiam ut nos quantum possumus, Deum summum bonum diligamus, ut summam veritatem cognoscamus, et ut unum æquitate in nobis teneamus, et sic erimus bene ordinati quoad Deum, per deiformes operationes, ut ferveamus amore cum Seraphim, luceamus scientia cum Cherubim, spirituales facti judicemus omnia cum Thronis. « Quamvis ergo in usu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas, » ait S. Gregorius lib. XXII *Moral.* xxi. Ad hæc ducit nos

Septimum.